SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

XXIV.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE

XXIV.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

Cum Approbatione Celsissimi et Reverendissimi Episcopi Brixinensis et Facultate Superiorum.

OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1878.

S. PROSPERI

AQUITANI

ΠΕΡΙ ΑΧΑΡΙΣΤΩΝ

HOC EST

CARMEN

DE INGRATIS.

LONDINI
apud David Nutt.

MEDIOLANI
apud Boniardi-Pogliani.

PARISIIS
apud Lethielleux, P.

Praefatio.

1. Quemadmodum Augustinus in Africa nulla non occasione insectatus est pelagianos, ita s. Prosper in Gallia strenue impugnavit semipelagianos. Natus is est sub finem sec. 4. in Aquitania, et idcirco Aquitani cognomen accepit. Licet Augustinum nunquam viderit, ejus tamen doctrinam et sapientiam demiratus, egregius factus est tanti doctoris discipulus, eandemque docte contra varios obtrectatores propugnavit. Ut vero fortius causam catholicam adversus semipelagianos agere posset, Romam se contulit (430—431.) postulaturus auxilium contra novos gratiae Dei inimicos. Et revera obtinuit praeclaram a s. Coelestino epistolam ad Galliae episcopos, qua summus pontifex Augustini famam tuetur illosque excitat, ut diligenter novatorum erroribus obsisterent[1]). In Galliam reversus non sine magno fidei catholicae emolumento variis libris editis semipelagianos debellavit. S. Leo M., cum (a. 440.) ad summi ponti-

[1]) Hanc epistolam habes opusc. t. 18. p. 253. ss.

ficatus apicem eveheretur, e Galliis, ubi tunc negotiorum causa moratus Prosperum forte cognoverat, eum in Urbem secum abduxit, ut in ecclesiasticis negotiis adversus haereticos ejus consilio calamoque uteretur[1]). Obiisse videtur secundum aliquos c. a. 455., secundum alios c. a. 463.

2. Magnis encomiis celebratur s. Prosper a theologis catholicis, nec immerito, cum doctrinam Ecclesiae de gratia tamquam strenuus Augustini vindex atque fidelis interpres nitide exponat et nervose defendat. „Qui ergo, inquit Fessler[2]), sensum Augustini et ipsius Ecclesiae[3]) de gratia et praedestinatione via brevissima et planissima nosse desiderat, opuscula s. Prosperi, quae ad causam semipelagianorum spectant, legat.“ Hinc cum tantae utilitatis sint s. Prosperi opuscula in quaestionibus de gratia, ea in studiosorum theologiae commodum in hanc collectionem recipiemus. Modo tamen solum ejus *carmen de ingratis*, i. e. de pelagianis et semipelagianis exhibebimus, quod sive verba, sive sensus, sive dogmata spectes, egregium plane et

---

[1]) Cf. Fessler, institutiones patrol. §. 383.

[2]) L. c. §. 388.

[3]) Doctrina s. Aug. adeo perfecte doctrinam Ecclesiae traditam exprimit, ut plures ipsius sententiae inter canones concili arausicani II (a. 529.) legantur.

incomparabile est antiquitatis monumentum. In eo detecto pelagianorum errore id unum assequi studet, ut massiliensibus seu semipelagianis ostendat, ipsos eorum vestigia eo usque premere, ut vix alii quam occulti pelagiani censeri debeant.

3. Ut vero majori cum fructu gustuque hoc carmen legatur, juverit quaedam praemisisse *de actus salutaris* secundum doctrinam catholicam *genesi*. Hinc liquido apparebit, quam parum quidam viri etiam eruditi errores semipelagianorum cognoscant, et quam praepropere systemata plane catholica affinitatis cum ejusmodi erroribus accusent. Est quidem haec quaestio de genesi actus salutaris teste ipso Augustino difficilis[1]), difficillima[2]), paucis intelligibilis[3]), „quae quemlibet nostrum quaerentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur; rursus ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiae judicemur[4]).“ Neque mirum, si enim genesis vel actus humani liberi omnibus expensis haud adeo facile explicatur, a

---

[1]) De gratia Chr. c. 52.

[2]) Epist. 215. n. 2.

[3]) Ep. 214; l. 2. c. Petil. c. 84.

[4]) De peccatorum meritis et remiss. l. 2. c. 18. n. 28.

fortiori actus supernaturalis origo non erit pervia. Theologi tamen est revelationis lumine praeeunte rimari saltem quantum fieri potest in actuum salutarium genesim.

4. Tenendum ergo in primis est, gratiae esse *praevenire voluntatem* ac praeveniendo *eam sanare* et *praeparare* ad opera salutaria[1]) edenda. Hoc colligitur ex controversia catholico-

---

[1]) Distinguuntur actus humani boni pro duplici fine, ad quem Deus hominem destinare potest, hinc pro duplici statu et ordine, naturali scil. et supernaturali, in actus *ethice* (*moraliter*) *bonos* et in actus *salutares* (supernaturaliter bonos). Actus proin salutares omnes illi dicuntur, qui ad finem supernaturalem, in cujus assecutione modo nostra salus continetur, tendunt, disponunt, conducunt. Inter hos et actus ethice bonos multiplex est discrimen: non enim distinguuntur 1) tantum *fine*, sed, quod hoc discrimen consequitur 2) *principio eliciente*, actus enim salutares ope gratiae eliciuntur, ad actus ethice bonos vires sufficiunt naturae. Distinguuntur 3) *lumine* et *norma praefulgente*: actus enim ethice boni rationis sequuntur dictamen; actus vero salutares revelationem illustrationemque supernam. Differunt 4) *bonitate et pretio*, cum illi praediti sint bonitate tantum naturali, hi vero supernaturali; hinc differunt 5) *merito* et *praemio*. Cum patres de actibus loquuntur salutaribus, eos dicunt actus, *qui ad pietatem veramque justitiam pertinent*, *quibus cogitamus*, *eligimus*, *agimus ut oportet et expedit*, quibus justificamur, vel simpliciter *bonos* appellant, quia

rum cum pelagianis, nominatim vero cum semipelagianis, contra quos strenue propugnatum fuit, indignum esse in ordine salutis secundas tantum partes Deo, primas vero tribuere voluntati, cum ante gratiam homini nihil insit boni in ordine ad salutem, cum omnis boni et meriti radix sit gratia. Hinc jam Augustinus l. 4. contra duas epist. Pelag. l. 4. c. 6. n. 13: „Verumtamen in omnibus, quae quisque agit secundum Deum, misericordia ejus praevenit eum (Ps. 58, 11). Quod isti nolunt, quia non esse catholici, sed pelagiani volunt.“ Et de natura et gratia c. 31: „Praevenit, ut sanemur, quia et subsequetur, ut etiam sanati vegetemur; praevenit ut vocemur, subsequetur ut glorificemur: praevenit ut pie vivamus, subsequetur ut cum illo semper vivamus, quia sine illo nihil possumus facere.“ In epist. ad Vitalem 217. n. 25: „Manifestum est ex illis duodecim sententiis,

---

in praesenti oeconomia supernaturali hi tantum vere boni sunt et meritorii. Actus vero ethice boni secundum patres solum „praesentem vitam decenter exornant, aeternae tamen beatitudinis praemium non habent (auctor de voc. omnium gentium l. 1. c. 4);“ tales sunt, quibus „praesens tantum et inter homines homini erit usus (Hilarius in Ps. 14. n. 7 s.)“ etc. Cf. Ripalda de ente supernat. disp. 105. 5. 6. n. 45.

quas pertinere ad catholicam fidem negare non sineris, non solum omnibus, verum etiam singulis id confici, ut confiteamur, gratia Dei praeveniri hominum voluntates et per hanc eas potius praeparari, quam propter earum meritum dari.«

5. Idem egregie tuentur episcopi africani in Sardinia insula exsules ita ad Joannem et Venerium scribentes (c. 10): „Quod autem vos dicitis, sola Dei misericordia salvari hominem, illi (semipelagiani) autem dicunt, nisi quis propria voluntate concurrerit et elaboraverit, salvus esse non poterit: digne utrumque tenetur, si rectus ordo servetur divinae misericordiae et voluntatis humanae, ut illa praeveniat, haec sequatur; sola Dei misericordia initium salutis conferat, cui deinde voluntas hominis cooperatrix suae salutis exsistat: ut misericordia Dei praeveniens voluntatis humanae dirigat cursum, et humana voluntas obediens eadem misericordia subsequente secundum intentionem currat ad bravium. Ac per hoc humana voluntas in eo, quod currit utiliter et laborat, ex Dei misericordia sibi esse donum cursus ac laboris agnoscat, nec sit ingrata misericordiae, per quam salutis accipit initium, ut per ipsam perveniat ad plenum sempiternae salutis effectum, quia tunc erit bona, si ejus non destituatur auxilio.“

Et aliis praetermissis [1]) Gregorius M. Moral. 17. c. 9: „Lumen Dei est gratia praeveniens, quae si in corde nostro nequaquam gratuita consurgeret, profecto mens nostra in peccatorum suorum tenebris obscura remaneret. Hinc statuit concilium arausicanum II. can. 14: „Nullus miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur, sicut dicit Psalmista: Cito anticipet nos misericordia tua, Domine (78, 8.) et illud: Deus, misericordia ejus praeveniet me (58, 11).“ Eadem docet concilium tridentinum sess. 6. can. 3.

6 Praeveniendo autem gratia voluntatem eam sanat et praeparat ad edendos actus salutares, id sicut docent allata patrum testimonia, ita colligitur quoque ex gratiae scopo. Duplici enim ex capite indiget voluntas seu generatim homo gratiae auxilio, tum quia *physice* est impotens ad

---

[1]) Neque enim necesse est in dogmate tam luculenter adversus semipelagianos integris libris defenso patrum efata coarcervare, quorum plurima etiam in hac collectione reperies, ut patet ex indice rerum in hoc tomulo sub verbo *gratiae necessitas*. Praesertim cf. auctor. de voc. omnium gentium l. 1. c. 23.; tract. de humilit. c. 14. opusc. t. 3.; Augustini Enchir. n. 31 ss.; Fulgentii de fide ad Petrum c. 28. t. 16; conc. milevit. et carthag. ad Innoc. I. cum hujus responsis, et Coelestini ep. 21. (8.) ad episcopos Galliae t. 18.

actus eliciendos supernaturales, tum quia propter concupiscentiae morbum ad malum admodum est propensus, hinc omne opus bonum etiamsi ordinis tantum naturalis ei redditur difficile [1]), quare ut sit par et expeditus ad actus salutares,

---

[1]) Hinc pendet discrimen inter gratiam *elevantem* et gratiam (pure) *medicinalem*. Illa enim elevat hominem ad altiorem statum, ut actus edere possit *supernaturales*, haec medetur vulneribus naturae peccato originali inflictis, concupiscentiae praesertim. Verum ut hoc discrimen accurate perspiciatur haec advertantur: 1) unam eandemque gratiam utrumque obire posse munus, proinde necessarium non esse duplicem semper supponere gratiam re distinctam 2) Certum est in praesenti rerum ordine eandem gratiam, si non semper, saepe saltem esse medicinalem simul et elevantem: 3) hac vero proprietate gratia praesentis ordinis distinguitur a gratia protoparentibus ante lapsum, tum angelis collata, quae non fuit medicinalis, sed *elevans tantum*. 4. Certum quoque est, gratiam esse posse medicinalem, quin sit elevans, cum Deus, in alio praesertim rerum ordine, hominem concupiscentiae naturaliter obnoxium ad servandam naturae legem juvare posset auxilio quodam indebito, quod tamen non sufficeret ad actum supernaturalem: qua in hypothesi gratia medicinalis non esset proprio et pleno sensu *supernauralis*, sed praeternaturalis tantum Differunt proinde 5) gratia elevans et medicinalis a) ratione *termni:* terminus gratiae elevantis sunt actus *salutares*, *supernaturales;* gratiae medicinalis terminus esse possunt actus etiam *ethice tantum boni;* b) ratione *necessi-*

et illa impotentia physica et haec impotentia moralis seu infirmitas est auferenda et sananda. Jam vero hoc praestat gratia praeveniens, quae hunc in finem hominem praevenit, ut impotentia physica auferatur, et hac ablata impotentia quoque moralis ex concupiscentia oborta tollatur.

7. Sanat et praeparat gratia voluntatem indeliberatis mentis *illustrationibus* voluntatisque *inspirationibus*, quas in nobis excitat et operatur, atque *subministratione virtutis*. Id colligitur tum ex gratiae nos praeparantis descriptionibus, quae passim in conciliis et patrum operibus leguntur, in quibus illustrationis, inspirationis voluntatis et subministrationis virtutis mentio diserta occurrit, tum ex quam plurimis patrum effatis, quibus haec gratiae praeparatio et sanatio ob oculos nobis velut ponitur. Et sane quod illustrationes et inspirationes atti-

---

tatis, illa enim in hypothesi elevationis ad finem supernaturalem est *absolute* necessaria, haec in hypothesi vigentis concupiscentiae *moraliter* tantum et hinc non semper est necessaria: c) ratione *effectus*; illius est auferre impotentiam physicam; hujus minuere difficultatem, impotentiam moralem: d) ratione *ordinis:* illa tantum viget in ordine supernaturali: haec esse potest et esset in ordine, qui supernaturali est inferior; non supponit ordinem supernaturalem: e) ratione *substantiae*: illa est enim in se supernaturalis: haec esse potest ordinis naturalis, licet gratis a Deo conferatur.

net, praetermissis praeclaris Cypriani verbis ep. 1. ad Donatum n. 4. (opnsc. t. 21); auctoris de voc. omnium gentium l. 2. c. 26. et auctoris tr. de humilitate c. 14. (opusc. t. 3), quae in hac collectione conferri possunt, insignia quoque sunt, quae habet Augustinus l. 1. ad Simplicianum q. 2. n. 2: „Nullo modo ista (eleemosynas orationes, etc.) operaretur (Cornelius Act. 10, 2), nisi ante credidisset; nullo modo credidisset, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritus vel manifestibus per sensus corporis admonitionibus vocaretur.“ Et iterum n. 21: „Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est aliqua rerum testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, a quo ejus voluntas moveatur ad fidem? quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectet? aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit vel delectet, cum occurrit? Cum ergo nos ea delectent, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc et praebetur gratia Dei, non nutu nostro et industria aut operum meritis comparatur, quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur.“ L. 2. contra duas ep. Pelag. c. 9. n. 21: „Tunc enim bonum concupisci incipit, quando dulcescere coeperit . . . Ergo benedictio

dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet et cupiamus, hoc est amemus, quod praecipit nobis, in qua si nos non praevenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.« Serm. 8. in Ps. 118. n. 5: „Sed quibus quasi gradibus ad eas (justificationes, quibus exercebatur David) perveniatur, ostendit: prius est enim ut videatur, quam sint utiles et honestae, deinde ut earum desiderium concupiscatur, postremo et proficiente lumine atque sanitate delectet et earum operatio, quarum sola ratio delectabat.«

8. Et sane ad salutariter eligendum et agendum necesse est, ut mentis tenebrae dissipentur, tot erronea judicia corrigantur de objectorum bonitate vel malitia fallaci illorum speciei innixa, ut pellantur nebulae a concupiscentia excitatae ad impediendum rectum rationis judicium: necesse est, ut corrigatur corruptum voluntatis palatum, cui sapiunt fallacia hujus mundi bona, imo et vitia; desipiunt vera et aeterna bona, virtutes atque praecepta divina. Hoc vero efficitur immissis illustrationibus inspirationibusque supernis, quas Deus in nobis operatur, quaeque viam sternunt ad actum deliberatum, multumque ad hunc conducunt, cum hic plurimum a praevia mentis voluntatisque dispositione pendeat.

9. Praeclare hanc gratiae operationem describit Prosper contra Collatorem c. 7. „Quis perspicere aut enarrare possit, inquit ipse occasione Joan. 6, 44., per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quae fugiebat sequatur, quae oderat diligat, quae fastidiebat esuriat[1]), ac subito commutatione mirabili quae clausa ei fuerant, fiant aperta, quae onerosa sint levia, quae amara sint dulcia, quae obscura sint lucida? Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult (1. Cor. 12, 11).“ Neque minus praeclare Fulgentius de Incarn. et gr. (seu ep. 17.) c. 20. n. 41: „Qua gratia humanum non aufertur sed sanatur, non adimitur sed corrigitur, non removetur sed illuminatur, non evacuatur sed adjuvatur atque servatur arbitrium, ut . . . in quo caecus fuit homo, in eo accipiat lumen[2]).“ Quo nil praestantius.

---

[1]) Pulcherrime advertit Fulgentius l. 1. ad Monimum c. 1: „Quia nec esurire panem illum, qui de coelo descendit (Joan. 6, 33) possumus, nisi ab ipso fastidientibus esuries datur, qui se ad satiandos esurientes donare dignatur.“

[2]) Sicut qui noctu lucernam accendit, ut quis discernere possit prudenterque eligere inter lapides pretiosos atque alios, qui nullius sint pretii, hujus libertatem non adimit, non impedit, sed potius ju-

10. Gratiam *subministrare virtutem* docent tum Scripturae ut cum Christus affirmat Joan. 15, 5. nos sine ipso, sine suo influxu nil posse in ordine salutis[1]), qui influxus aliquam profecto suppeditat potentiam; tum patres quoties inculcant, nos absque gratia nil plane posse, gratia nos in omnibus juvari, haec enim doctrina supponit, gratiam conferre quandam potentiam[2]); sive cum passim gratiam dicunt virtutem seu virium subministrationem, ut possimus bonum peragere. Ita Augustinus s. 42. de verbis Is. c. 3: „Quomodo gratia te a te liberat? dimittendo peccata, donando merita, dando tibi vires ad pugnandum adversus concupiscentias tuas, inspirando virtutem, dando coelestem delectationem, qua omnis delectatio superatur.“ Serm. 32. n. 9: „Vocat te Deus et jubet, ut facias, sed ipse dat vires, ut quod jubet impleri

---

vat; neque medicus sanans aegroti palatum, cui ex morbi vitio cibi sani desipiebant, ita nec gratia intellectum illustrans et voluntatem corrigens, hominis interimit libertatem sed potius perficit.

[1]) Concilium trid. sess. 6. cap. 16: „Ille ipse Christus Jesus tamquam caput in membra et tamquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter *virtutem influit*, quae virtus eorum opera semper antecedit, comitatur et subsequitur.“

[2]) Cf. Schäzler, Natur und Uebernatur c. 4. p. 156 ss.

possit.“ Et aliis testimoniis omissis[1]) l. 1. c. duas epist. Pelag. c. 2. n. 5: „Quid est, quod iste libero arbitrio vult bene vivendi tribuere poi testatem, cum haec potestas non datur, nisgratia Dei per Jesum Christum D. N.?“ Augustino consentit Fulgentius ad Petrum de fide c. 32. scribens: „Firmissime tene . . . divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua praevenerit, ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, et accepta divinitus bona voluntate atque virtute mandata Dei facere et velit et possit.“ Ad rem quoque Bernardus de gratia et lib. arbitrio c. 1: „Non est ejusdem facilitatis scire, quid faciendum sit et facere, quoniam et diversa sunt, caeco ducatum ac fesso praebere vehiculum. Non quicunque ostendit viam, praebet etiam viaticum itineranti. Aliud illi exhibet, qui facit ne deviet; et aliud qui praestat ne deficiat in via. Ita nec quivis doctor statim et dator erit boni, quodcunque docuerit. Porro duo mihi sunt necessaria, doceri ac juvari.“

11. Idem clarissime docet Schola. Ita Thomas, qui et hujus asserti reddit rationem. „Ni-

---

[1]) Ep. 188. al. 143. n. 12.; de praedest. sanctorum c. 3. n. 7; op. imperf. l. c. 15; de perfect. just. c. 10. n. 21; retract. l. 1. c. 22. n. 4.

hil enim, inquit l. 3. c. gentes c. 53. n. 4, potest ad altiorem operationem[1]) elevari, nisi per hoc, quod ejus virtus fortificetur.« Et clarius 1, 2. q. 109. a. 5: „Actus perducentes ad finem oportet esse fini proportionatos. Nullus autem actus excedit proportionem activi principii, et ideo videmus in rebus naturalibus, quod nulla res potest perficere effectum per suam operationem, qui excedat virtutem activam . . . Vita autem aeterna est finis excedens proportionem naturae humanae, et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitae aeternae, sed ad hoc requiritur altior virtus, quae est virtus gratiae[2]).« S. Bonaventura, postquam docuit, naturam parem non esse ad consequendum finem supernaturalem, haec subdit: „Nullum tamen ex hoc fit naturae praejudicium, quia Deus defectum naturae supplet et semper praesto est, cum se offert tempus et locus, complere et dare, quod natura non habet.« Aliis vero praetermissis[3]) unum

---

[1]) Jam vero actus salutaris est operatio altior operatione naturali, quam solam elicere potest natura sibi relicta.

[2]) Similia docet q. 1. de virtut. a. 10. ad 1. Cf. Ripalda d. 110. de ente supernat.

[3]) Cf. Schäzler, qui haec docte et praeclare ex

adhuc audiamus Richardum a s. Victore egregie hac de re disserentem de statu interioris hominis tr. 1. c. 30: „Scimus quid dicat (Christus): *Sine me nihil potestis facere* (Joan. 15, 5). Tantum ergo possumus, quantum posse accepimus. *Quid enim habes, quod non accepisti* (1. Cor. 4, 7)? Nihil enim aliud est habere ejusmodi potestatem et fortitudinem, quam habere gratiam cooperantem. Potestas tua, cooperatrix gratia. Quantum habes gratiae, tantum habes potentiae. Et quantum gratia accepta crescit, tantum et potentia tua proficit. Et quantum gratia minuitur, tantum et potentiae tuae subtrahitur. Et si quando subtrahitur gratia simul perit et potentia[1]). Patet itaque, quia aliud est arbitrii potestas, atque aliud liberi arbitrii libertas. Aliud est enim magna posse, aliud liberum esse. Si sanus et robustus es, multa et magna facere potes; verumtamen si

---

veterum theologorum auctoritate comprobat in op. Natur und Uebernatur c. 1.

[1]) Potentia scil. ad actus salutares. Dici autem nequit, quanti sit momenti distinctio, quam mox proponit hic auctor, inter arbitrii *potestatem* seu *sufficientiam*, et arbitrii *libertatem*, quae in immunitate a necessitate seu determinatione ad unum consistit. Illa sufficientia potest multipliciter dilatari et restringi, augeri et minui, incolumi manente libertate, ut congruo illustrat exemplo.

liber es, ad nihil cogi potes vel debes. Et si amittis sanitatem, amittis priorem potestatem, non tamen et libertatem.“

12. Porro haec virtus, hae vires, quas gratia suppeditat, nostrae fiunt et inter vires voluntatis proprias sunt recensendae. Hinc Augustinus passim[1]) eas vocat *nostras*, vires voluntatis *nostrae*. Ita de civit. Dei l. 16. c. 23. referens quomodo Deus Abrahamum probaverit (Gen. 22.) scribit: „Plerumque aliter animus humanus sibi ipsi innotescere non potest, nisi *vires suas* sibi non verbo sed experimento, tentatione quodammodo interrogante, respondeat. Ubi si *Dei munus* agnoverit, tunc pius est, tunc solidatur firmitate gratiae.“ Epist. 186. al. 106. n. 5: „Bonum igitur est homini, ut cum totis viribus[2]) liberi arbitrii sui dicat: Fortitudinem meam ad te custodiam (Ps. 58, 10).“ Serm. 1. in Ps. 102. n. 7: „Cujus viribus (luctatus es)? Tuis, sed ab illo ministratis.“ Illas confert Richardus a s. Victore cum militibus, qui ad imperatoris sunt nutum l. c. c. 16. scribens: „Incipit ergo posse (libe-

---

[1]) Cf. l. 1. de peccat. mer. et remiss. n. 70.; in Ps. 79 et 94.

[2]) Totis viribus sane non natura insitis sed gratia donatis, alioquin haec propositio pelagiana foret.

rum arbitrium) ex divino adjutorio, quod non potest de seipso, et quod jam non potest per naturam, accipit bonum posse per gratiam. Quotidie crescit ad bonum, quotidie roboratur contra malum. Crescit ad bonum, ita ut jam in potestate consistens et habens sub se milites possit dicere huic, vade et vadit (Luc. 7, 8.) etc. Et quantum hoc esse putamus, posse omnes rebelles animae motus reprimere et ab actu cohibere, quamvis necdum possit omnes perfecte delere et regnum suum ad plenam pacem reformare?“ Hinc secundum ipsum per gratiam est „liber ille arbitrii consensus tot cogitationum, tot affectionum, appetituum, sensuum imperator et Dominus.“

13. Quare gratia voluntatem praevenit et praeveniendo praeparat non solum *objective* et *moraliter*, sed et *subjective* et *physice*[1]). Hisce continetur discrimen inter gratiam catho-

---

[1]) Diximus n. 7. gratiam sanare et praeparare voluntatem *illustrationibus* intellectus voluntatisque *inspirationibus*. Jamvero in hac quaestione *duplex* sedulo distingui debet *illustrationis* genus. Alia enim est tantum *mediata*, quae scil. sponte sua *vi legis psychologicae et naturalis* in intellectu oritur, cum aliqua veritas, aliqua doctrina apte eidem contemplanda exterius proponitur. Hoc modo angelus angelum, homo distincte aliquid docens hominem illuminare, illustrare potest. Hac ratione concionatores annun-

licorum et gratiam pelagianorum et etiam semipelagianorum, ut evidenter colligitur ex Pros-

---

ciantes Dei Evangelium infideles illuminare possunt, sed tali illustratione non continetur gratia ad actum salutarem necessaria: ea enim *entitative* non est supernaturalis, sed ordinis omnino naturalis. Alia illustratio est *immediata*, qua Deus, cum homo verba salutis exterius proponit, immediate in intellectum influit, hunc elevat, novo lumine supernaturali instruit, ut supernaturali ratione doctrinam propositam apprehendat. Illa *illustratione ex Evangelii doctrina apte proposita sponte in nobis oborta* pelagiani erant contenti: illustrationem immediatam omnino exigit Ecclesia catholica, quod patres maxime inculcant, cum contra pelagianos provocant ad verba Pauli: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (1. Cor. 3, 7). Cf. infra Prosper v. 346 ss Praeter illustrationem requiritur ad rationem gratiae etiam voluntatis *inspiratio*, qua voluntas excitetur, sanetur, praeparetur ad actus salutares. Porro *triplex* distingui potest voluntatis *inspiratio*. *Mediata* oborta *vi legis psychologicae* ex illustratione *naturali* intellectus; nam quoties intellectus aliquid apprehendit sub ratione boni vel mali, voluntas sponte sua aliqua ratione afficitur et movetur. Ejusmodi inspiratio non sufficit ad actum salutarem. *Alia* inspiratio pariter est *mediata*, oborta sponte sua *vi legis psychologicae* ex mentis illustratione sed *supernaturali*. Haec pariter non sufficit ad actum salutarem; haec enim quamdiu gratia voluntatem ipsam immediate non afficit et elevat, *entitative* est *plane naturalis*, quamvis ab objecto supernaturali excitata. *Tertia* inspiratio est *imme-*

peri carmine de ingratis. Si enim hi aliquam admittebant gratiam, eam tantum concedebant quae *extrinsecus* vocaret, invitaret, alliceret, suaderet, objective scil. et moraliter, qua ratione etiam homo hominem juvare, docere etc. potest: abhorrebant vero ab ea gratia, quae intrinsecus mentem voluntatemque afficeret, refingeret, elevaret ad altiorem operandi statum, quae subjective et physice praepararet voluntatem. Talem vero admittendam esse gratiam, sicut corollarii instar sponte sua ex dictis fluit, ita omnibus testimoniis hucusque allatis confirmatur. Utramque hanc praeparationem satis clare innuit Fulgentius l. 1. ad Monimum c. 8: „Dei est, ut bonum facere *velimus* et ut facere *valeamus*;“ Cyrillus alexandrinus de ador. in spiritu l. 1: „Quia hominis natura non est adeo firma, neque satis virium habet, ut emergere e vitiis possit, opem illi fert in ea re Deus. Itaque duplicem gratiam tribuere cognoscitur: cum enim monitis suadet tum adjuvandi rationes invenit easque praesenti malo vim nobis afferente valentiores efficit.“ Huc quoque

---

diata, cum gratia immediate, subjective, physice voluntatem afficit, excitat, elevat, ut principium sit *supernaturale* par ad actus eliciendos supernaturales. Jam vero ejusmodi inspirationem includit gratia ad actus salutares necessaria.

spectant haec s. Thomae verba lect. 2. in Ephes. 3: „Facultatem (ad salutares actus) dat Deus infundendo virtutem et gratiam, per quas homo efficitur potens et aptus ad operandum. Sed ipsam operationem confert, in quantum in nobis interius operatur movendo et instigando ad bonum . . . in quantum virtus ejus operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate."

14. Voluntatis autem praedicto modo praeparatae est *gratiae* praevenienti *consentire eaque uti*, adeo ut actus salutares deliberati nec *soli gratiae* nec *soli* vicissim *libero arbitrio* adscribi possint, sed proficiscantur ab *una causa adaequata*, quae est *voluntas viribus aucta gratiae*. Singula hujus propositionis membra paucis illustrabimus. Voluntatis praedicto modo praeparatae esse gratiae consentire eique cooperari, docet concilium tridentinum sess. 6. cap. 5. statuens homines „per ejus (Dei) excitantem et adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratiae libere assentiendo et cooperando disponi, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit." Hoc confirmant omnes

illae exhortationes, quibus Deus peccatores jugiter per Scripturam et Ecclesiam hortatur, *ne in vacuum Dei gratiam recipiant* (2. Cor. 6, 1), sed strenue eidem corperentur: nam quod est solemne Augustini[1]) axioma: „Qui creavit te sine te, non justificat te sine te." Quare idem s. doctor de pecc. meritis et remiss. l. 2. c. 5. egregie inculcat: „Nec ideo solis de hac re (de acquirenda justitia) votis agendum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostrae efficacia voluntatis. *Adjutor* enim noster Deus dicitur, nec *adjuvari* potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur. Quia non sicut in lapidibus insensatis[2]) aut sicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis." Ita vero scribit Hieronymus in ep. ad Galatas 5: „Aliud est Dei opus, aliud hominum: Dei opus est vocare, hominum vel credere vel non credere[3]) ...

---

[1]) Serm. 169. al. 15. de verbis Ap. n. 13.

[2]) S. Leo serm. 5. de Quadrag. „Quia *rationabiles lapides* sumus et viva materies, sic nos auctoris nostri exstruit manus, ut cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur. Gratiae igitur Dei obedientia se humana non subtrahat."

[3]) Similiter Augustinus l. 1. ad Simplic. q. 2. n. 10: Ut velimus, suum esse voluit et nostrum. Suum vocando, nostrum sequendo."

Sive ergo in bonam sive in malam partem nec Deus nec diabolus in causa est, quia persuasio non est ex eo, qui vocavit nos, sed ex nobis, qui vel consentimus, vel non consentimus.“ „Debemus gratiae, inquit Ennodius ticinensis[1]), quod vocamur; debemus gratiae, quod occultis itineribus, nisi resistamus, sapor nobis vitalis infunditur; nostrae tamen electionis est, quod beneficia demonstrata sectamur.“ Et aliis innumeris patrum effatis omissis Bonaventura de resurrectione a peccatis ad rem advertit: „Cum sint in opere salutis ista quatuor, scil. *invitari*, *acquiescere*, *adjuvari* et *permanere*, primum est inspirationis; secundum libertatis arbitrii, tertium muneris divini, quartum sollicitudinis nostrae et pariter adjutorii divini.“

15. Voluntatis sic praeventae et praeparatae est etiam gratia *uti* ac utendo velut ad opus applicare. Id sponte sua consequitur ex iis, quae demonstravimus n. 12. Si enim gratiae est, voluntati conferre novas vires, quae ipsius redduntur *propriae*, profecto poterit iis uti, sicut utitur viribus ab ipsa natura insertis. Hunc enim in finem voluntati conferuntur ejusmodi vires, ut suppleta ejus naturali insufficientia submini-

---

[1]) Epist. l. 2. ep. 19. de lib. arbitrio.

stratione novae virtutis ipsa voluntas *possit*, quae ante non valuit praestare. Hinc doctor seraphicus[1]): „Sicut voluntas movet seipsam ad opera naturalia, sic adjuta per gratiam movet se ipsam ad opera meritoria.“ Id quoque colligitur ex tot exhortationibus, quibus excitamur, ut bene *utamur* gratia. „Hortatur primo, (Apostolus) inquit s. Thomas[2]) explicans 2. Cor. 6, 1., in generali, quod gratia Dei non utantur in vanum.“ Nam ut advertit in Ps. 38, 3: „Deus non dat gratiam homini, nisi *utatur* illa, et ideo quando quis per negligentiam gratia sibi data non utitur, Deus aufert ei, ut patet de talento Luc. 19.“

16. Actus salutares et gratiae et libero arbitrio esse tribuendos (quod est tertium nostrae assertionis membrum), adeo clare tradunt ss. literae, ut plane superfluum sit data opera id confirmare. Non posse autem hos actus alter-

---

[1]) In 2. sent. dist. 26. q. 6. ad 1.

[2]) Lectione 1. in h. l. Cf. eundem praeterea lect. 1. in 1. Cor. 15, 10; 1. p. q. 62. a. 3. ad 2; 3. p. q. 69. a. 8. ad 2., ubi scribit: ‚Quia etiamsi aequalem gratiam (duo) percipiant, non aequaliter ea *utuntur*, sed unus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiae Dei deest.‘ Augustinum in Ps. 32. S. 2. etc. De hoc gratiae usu egregie disserit Lessius de gratia efficaci c. 10. n. 12. ss.

utri *exclusive* et *seorsim* adscribi, manifestum est per se. Quotiescunque enim ad aliquem effectum producendum duo principia concurrunt et necessario requiruntur, neutri seorsim et exclusive tribuere illum licet: sed ad actum salutarem et gratia requiritur et voluntas gratia praeventa huic eidem cooperans gratiae, quare nec gratiae seorsim nec soli voluntati licet vindicare actus salutares. Quod egregie nos docet s. Paulus 1. Cor. 15, 10: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum*": quorum verborum occasione scribit Augustinus de grat. et lib. arb. c. 5. n. 12: „Nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo": Gregorius vero M.[2]): „Quia divina nos bonitas, ut innocentes faciat,

---

[1]) Idem saepe Augustinus docet, ut serm. 13. c. 3: „Si ergo Deus est, qui operatur in nobis (Philipp. 2, 13), quare dictum est, vestram ipsorum salutem operamini (ib. v. 12)? Quia sic in nobis operatur, ut et nos operemur. *Adjutor* meus esto: designat et se operatorem, qui invocat adjutorem." Retract. l. 1. c. 23. n. 2. et 3: „Utrumque (credere et operari) et ipsius est, quia ipse praeparat voluntatem, et utrumque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis." De praedest. sanctorum c. 3. n. 7.

[2]) Moral. l. 16. c. 25. Cf. etiam l. 33. c. 21. et l. 1. hom. 9. in Ezech. n. 2.

praevenit, Paulus ait: *Gratia autem Dei sum id, quod sum.* Et quia eandem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adjungit: *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.* Qui dum se de se nihil esse conspiceret, ait: *Non autem ego.* Et tamen quia se esse aliquid cum gratia invenit, adjunxit, *sed gratia Dei mecum.* Non enim diceret *mecum*, si cum praeveniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Ut ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait: *Non ego.* Ut vero se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adjunxit: *Sed gratia Dei mecum.*"

17. Hoc etiam nos docent patres graeci. Similitudine praeclara id illustrat Origenes Philocaliae c. 24: „Quemadmodum fructus agriculturae est mixtum aliquod proveniens et ex electione agricolae ex arte laborantis et ex providentiae beneficio ob aeris temperiem et pluviam sufficientem extra ipsius facultatem positam [1]), ita et opus bonum hominis ratione prae-

---

[1]) Haec similitudo non est omnino *adaequata*, nam pluvia et aeris temperies non novam virtutem atque fecunditatem terrae tribuunt, sed eam, quae naturaliter inest, excitant, fovent, promovent; hinc pluviae et aeris temperies gratiam potius externam repraesentant. Tamen ad scopum sufficit, ut scil.

diti est compositum quoddam ex ipsius electione et Dei virtute, qui quod melius est inspirat eligenti.“ „Utroque opus est, inquit Theodoretus in Philip. 1, 29, et nostra animi promptitudine et divino auxilio. Neque enim iis, qui animi alacritatem non habent, sufficit gratia Spiritus; nec animi prompta voluntas, si sit gratia destituta, potest virtutis divitias colligere.“ Tertius audiatur Chrysostomus hom. 82. in Matth. n. 4: „Magnum hic dogma accipimus (ex Petri lapsu) non sufficere hominis fervorem, nisi superna adsit gratia, itemque nihil nos a superna gratia juvari, nisi voluntatis studium adsit. Et haec ambo ostendunt Judas et Petrus: ille namque multo fultus auxilio, nihil

---

ostendatur, hominem ad salutem suam operandam sibi non sufficere, sed indigere Dei gratia: cujus indoles vero sit haec gratia, alibi accuratius describetur. Prae oculis vero semper habendum est, omnem similitudinem claudicare, atque ad scopum, propter quem adhibetur, esse attendendum. Eadem similitudine utitur Irenaeus l. 2. c. 17. scribens: „Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, nec unus panis, ita nec nos multi unum fieri in Christo Jesu poteramus sine aqua, quae de coelo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat, sic nos lignum aridum existentes primum nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia.“

hinc fructus percepit, quia noluit, nec sua contulit: hic vero cum proposito voluntatis, quia nullo fultus erat auxilio[1]), lapsus est. Nam ex his duobus virtus contexitur etc.“

18. Sed prae ceteris accurate hanc doctrinam tradunt s. Anselmus et s. Bernardus, quorum ille de concordia gratiae et liberi arbitrii ita disputat c. 5. al. 15: „Si bene considerentur quae dicta sunt, aperte cognoscitur, quia cum aliquid dicit s. Scriptura pro gratia, non amovet omnino liberum arbitrium, neque cum

---

[1]) Quamvis haec ultima non subscribamus, ea tamen non officiunt doctrinae, quam cum tot aliis patribus Chrysostomus conspirans tradit. Ceterum ea non favent jansenianis ad tuendam propositionem *primam* Jansensii: ‚Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant‘, quae declarata et damnata est *temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda* et *haeretica*; nam Petrus non erat ex justis humilibus volentibus et conantibus, ut supponitur in hac propositione. Advertere praeterea licet, vix probabile esse Chrysostomum loqui de quacunque gratia, orationis etiam, et hanc Petro denegare, cum constet Christum hortatum esse Petrum ad orandum ne caderet, magna proinde gratia eum praevenisse. Hinc tantum eo sensu dici potest Petro defuisse gratiam, quatenus oblatam respuit sibique nimium fidens ea uti noluit.

loquitur pro libero arbitrio, excludit gratiam: quasi sola gratia aut liberum arbitrium solum sufficiat ad salvandum hominem ... Ita quippe intelligenda sunt dicta divina, ut hoc excepto, quod dixi de infantibus, nec sola gratia nec solum liberum arbitrium salutem hominis operetur. Quippe cum dicit Dominus: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. 15, 5), non ait: Nihil valet vobis vestrum liberum arbitrium, sed nihil potest (*al.* prodest) sine mea gratia. Et cum legitur: *Neque volentis, neque currentis sed miserentis est Dei* (Rom. 9, 16), non negatur in volente et currente aliquid prodesse liberum arbitrium, sed significatur non esse imputandum libero arbitrio, quod vult et quod currit, sed gratiae[1]) .... Sicut ergo quamvis naturalis usus non procreet prolem sine patre nec nisi per matrem, non tamen removet ullus intellectus aut patrem aut matrem a generatione prolis: ita gratia et liberum arbitrium non discordant, sed conveniunt ad justificandum et salvandum." Haec vero plane aurea sunt Bernardi de grat. et lib. arbitrio c. 14. n. 47, quibus omnia, quae hucusque demonstravimus, iterum confirmantur: „Ipsa (gra-

---

[1]) Cf. alia, quae hujus textus occasione disserit opusc. t. 16. p. 53. in annot.

tia) liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo praeveniat, in ceteris comitetur, ad hoc utique praeveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quod a sola gratia coeptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim non singillatim; simul, non vicissim, per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quippe hoc et totum illa; sed ut totum in illo, sic totum ex illa.«

19. Denique idem evincit accurata actus salutaris analysis. Ejus enim characteres essentiales sunt, ut sit vitalis, alioquin non est noster; ut sit liber, secus enim meritorius non foret et hinc nec laude dignus; ut sit supernaturalis, quo conducere possit ad salutem. Sed supernaturalis non foret, si voluntas sibi derelicta ipsum eliceret: liber non esset, si causa adaequata foret gratia secluso voluntatis consensu: ergo actus salutaris nec gratiae seorsim, nec seorsim libero arbitrio est adscribendus.

20. Quare cum actus salutares neutri exclusive tribui possint, sequitur illos adscribi debere gratiae et libero arbitrio, quatenus *unam*

adaequatam constituunt *causam*, voluntati scil. gratia praeventae, praeparatae, auctae. Hinc Augustinus disserens de bono pudicitiae c. Julianum l. 5. c. 16. n. 65. ait, hoc esse discrimen catholicos inter et pelagianos: „vos ipsius animi viribus hoc tribuitis, ego *adjutae per Dei gratiam voluntati.*“ Et sane hoc negari nequit, quin tota gratiae oeconomia funditus pervertatur. Ad quid enim Deus gratiam nobis concedit, nisi ad sublevandam roborandamque hominis impotentiam et insufficientiam ad actus salutares? Nonne potest homo post adeptam gratiam cum Paulo dicere: *Omnia possum in eo, qui me confortat* (Philip. 4, 13)? Ergo homo seu voluntas gratia aucta et roborata causa est adaequata actus salutaris.

21. Verum hic oritur quaestio palmaris inter catholicos et haereticos, utrum ita gratia voluntatem praeveniat praeparetque, ut illam ad actum salutarem determinet, an maneat voluntas etiam sub gratiae influxu libera suique actus domina, adeo ut possit etiam gratiae resistere. Affirmat Ecclesia catholica, impenseque tuetur adversus lutheranos, calvinianos, jansenianos voluntatis etiam sub gratiae influxu libertatem. Et revera hanc negare is tantum potest, qui ne tenuissimam quidem gratiae notionem animo conceperit. Neque enim exserit gratia suam virtutem con-

tra libertatem eam opprimendo, impediendo, evertendo, verum pro libertate illam juvando, firmando, perficiendo, nam „opitulationes divinae gratiae stabilimenta sunt voluntatis humanae," inquit Prosper[1]). Sed ut docet s. Thomas[2]) „proprium liberi arbitrii est electio, ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere alio recusato, quod est eligere". Voluntas igitur etiam sub gratiae influxu hanc retinet praerogativam. Hinc verissime Augustinus de

---

[1]) Contra Collatorem c. 18. n. 3. al. c. 38. n. 54. Iterum c. 8. n. 3. egregie: „Hac regula (ecclesiastica) nulli hominum aufertur voluntas (libera, de hac enim agebatur), quia virtus gratiae non hoc in voluntatibus operatur, ut non sint, sed ut ex malis bonae, et ex infidelibus sint fideles: et quae ex semetipsis erant tenebrae, lux efficiantur in Domino: quod mortuum erat vivificatur, quod jacebat erigitur, quod perierat invenitur." Cf. etiam c. 6. In eundem sensum Coelestinus I. ad episcopos Galliae ep. 21. (in nostra edit. t. 18. ep. 8.) n. 14: „Quo utique auxilio et munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum." Augustinus ep. 157. ad Hilarium c. 2: „Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur, sed ideo juvatur, quia non tollitur. Epist. 214, 215.; de gestis Pelag. n. 5; Hieronymus ep. 133. ad Ctesiphontem. Huc spectant illa patrum effata, quae attulimus supra n. 9.

[2]) 1. p. q. 83. a. 3.

spiritu et lit. c. 30. n. 52: „Liberum arbitrium evacuamus per gratiam? Absit! sed magis liberum arbitrium statuimus.“

22. Hac controversia praetermissa jam alia oritur longe subtilior, quae incolumi manente dogmate catholico aliter atque aliter a theologis catholicis dissolvitur, utrum scil. voluntas gratia praeventa et ad actum salutarem praeparata, ita ad agendum moveatur, applicetur, inducatur, ut ex intrinseca gratiae virtute opus bonum infallibiliter sequatur, nec fieri possit, ut manente hac eadem gratia et ad bonum impulsu, illud non sequatur; an potius fieri possit, ut cum eadem plane gratia unus bene operetur, alter opus omittat, adeo ut nexus inter gratiam boni operis et ipsum opus non sit *ex se* infallibilis, non pendeat *ex ipsa interna gratiae virtute*, sed a consensu liberae voluntatis; seu aliis verbis, utrum gratia *ex sese internaque sua virtute* sit efficax ipsius boni operis, an sit quidem ex sese efficax *efficacia virtutis*, non vero efficax ex sese *efficacia boni operis*[1]), quod hujus

---

[1]) Haec *duplex gratiae efficacia* sedulo distingui debet. *Omnis* gratia interna, etiam ea cui voluntas resistit quamque suo fructu frustrat, etiamsi sit tenuissima, efficax est *efficacia virtutis*, nam praevenit, excitat, virtutem ad agendum illud ad quod donatur, suppeditat, alioquin non esset Dei *auxilium*

cum illa nexus pendeat a libero arbitrio, quod possit manente eadem gratia bonum opus omittere. Gratiam *ex sese* esse *efficacem* affirmant innumeri gravissimique theologi, sed etiam quamplurimi theologi primi subsellii negant. Nolumus hanc modo dirimere controversiam, ne praefatio haec nimium excrescat. Tria tantum breviter advertemus, quae satis clare evincent, nullam esse necessitatem recurrendi ad gratiam ex sese efficacem, ut sive Scripturae sive patrum effata de gratia efficacia explicentur, dummodo illa voluntatis per gratiam praeparatio admittatur, quam hucusque exposuimus. Maxime provocant patroni gratiae ex se efficacis ad haec vel similia testimonia Ez. 11, 19. s.: *Et dabo eis cor unum* (vel 36, 26. novum), *et spiritum novum tribuam in visceribus eorum* (ib. ponam in medio vestri) *et auferam cor lapideum de carne eorum et dabo eis*

---

et *adjutorium*: sed non omnis efficacia est *efficacia boni operis*; nam non omnis gratia illum fructum actus salutaris et boni operis fert, ad quem ferendum divinitus datur; id consequitur *non ex defectu virtutis*, sed *ex defectu cooperationis* humanae, quae est conditio essentialis, ut vidimus n. 14. ss., ut actus salutares et meritorii sequantur, quae cooperatio cum sit libera, adesse vel abesse potest; quod si desit, fructu boni operis frustrabitur gratia.

cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent et judicia mea custodiant faciantque ea, vel ut habetur 36, 27: *Et faciam, ut in praeceptis meis ambuletis et judicia mea custodiatis et operemini.* Philip. 2, 13: *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* etc. Jam vero haec non sufficiunt ad ejusmodi gratiam statuendam [1]).

23. Sane interrogemus [2]) patres, quomodo

---

[1]) Ceterum et illud adverti debet, Scripturae de gratia testimonia harmonice esse exponenda. Qua in re nonnulli nimis leviter se gerunt. Provocant ad aliquod Scripturae effatum, ut illud 1. Cor. 4, 6: *Quid habes, quod non accepisti*, vel similia et illius sensum, argumentum, ambitum etc. accuratius non determinando, quidquid volunt inferunt, nulla ratione habita aliorum textuum. Hoc modo facile est affirmare, sententiam de gratia ex se efficaci in sensu thomistarum jam adeo esse certam, ut desit tantum Ecclesiae definitio, ut sit dogma fidei catholicae!

[2]) Adverti etiam debet, verba prophetae dici *de omnibus*, qui ad novum spectant testamentum; verba vero Apostoli scribi ad *omnes fideles*, non ad *praedestinatos* tantum, et tamen non omnes fideles observant praecepta Domini, in iis ambulant, bonum volunt et perficiunt. Ergo *evidenter* significatur tantum, haec Deum operari gratia sua, *quantum est ex se*; nullo modo evincunt, hanc gratiam ex *sese* esse efficacem, alioquin in *omnibus* fidelibus hunc haberet effectum.

Deus operetur in nobis velle et perficere, faciat ut faciamus. Respondebunt 1. hoc Deum operari gratia sua nos praeveniendo, alliciendo, invitando, movendo etc. Et revera causae morali, etiam homini motivis gravibus allicienti, inducenti, moventi alterum, hujus actiones et opera adscribi possunt, etiamsi motiva et rationes, quibus utitur, *ex sese* et infallibiliter non sint efficaces [1]). Ita de homine consulente, mandante, impellente ad homicidium dici potest, eum effecisse, ut alter homicidium patraret. Ita Demostenes omnia egit, ut athenienses bellum adversus Philippum Macedonum regem gererent. Sed

---

[1]) Quod si jam homo prudentia, mansuetudine, suasione vel durissimos cera molliores et ad omne quod vult propensos nullis adhibitis mediis ex se infallibilibus persaepe efficere potest, quanto magis Deus hominis vel obstinatissimi pertinaciam frangere et rebelles nostras voluntates ad omne beneplacitum suum inflectere poterit, cum ipse penitissime cognoscat omnes hominis propensiones et studia scrutans renes et corda hominum. Quare *non est timendum*, ne, si gratia non sit ex se efficax, homines possint eludere Dei consilia et impedire, quominus eos salvet, si eos salvare decreverit. Candide fateor, longe admirabiliorem Dei esse providentiam, magisque splendescere ejus in nostras voluntates dominium, si *visorum suasionibus* agit Deus ut credamus, quam si recurrere debet ad gratiam *ex se* efficacem, ut certo assequatur, id quod apud se statuit.

audiantur patres. Augustinus[1]) de spiritu et lit. c. 34. n. 60: „Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus et credamus sive extrinsecus per evangelicas exhortationes . . . sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat, profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus praevenit nos; consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire, ut dixi, propriae voluntatis est.“ L. 83 qq. q. 68. n. 5: „Et quoniam nec velle quisquam potest nisi admonitus et vocatus, sive intrinsecus, ubi nullus hominum videt, sive extrinsecus per sermonem sonantem aut per aliqua signa visibilia, efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis. Ad illam enim coenam, quam Dominus dicit in Evangelio (Luc. 14, 16. ss.) praeparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt,

---

[1]) Cf. etiam ad Simplic. l. 1. q. 2. n. 10, 11: „Quia vocatio praecedit bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod recte volumus;“ de lib. arbitrio l. 3. c. ult.

venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati, erat in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatis operatur. Propterea et si quisquam sibi tribuit, quod venit vocatus, non sibi potest tribuere, quod vocatus est etc.“ Theodoretus vero illa Ezechielis verba (36, 26.) ita interpretatur: „Illud *dabo* nequaquam liberum laedit arbitrium: verbis enim et operibus et infinitis adhibitis miraculis non illis tantum, sed etiam omnibus gentibus, ut ad pietatem accederent, persuasit, non coegit: et tamen quamvis non coegerit, sed persuaserit, se ait dedisse animis ad meliora propensionem, quippe cum ipse esset auctor hujus tum his quae dixit, tum illis, quae fecit.“ Eoque magis dici potest Deus operari in nobis ipsum velle, cum non solum objective moveat ut homo quilibet, sed ipsa prima voluntatis initia inserat et in nobis operetur, scil. actus *indeliberatos* amoris, desiderii, qui actum deliberatum praevertunt eique viam sternunt.

24. Facit 2. Deus, ut faciamus, conferendo vires, subministrando virtutem. Hac subministratione virtutis perficitur prior modus, et hinc ingens exsistit discrimen inter Deum, qui facit

ut faciamus, et hominem, qui suadendo, alliciendo etc. facit, ut alius aliquid faciat, quod Deus *subjective* subministret vires, elevet facultates, agat in animam, cum homines *objective* tantum movere possint nullamque virtutem conferre valeant. „Et ipsa bona opera nostra, inquit Augustinus de Genesi c. Manich. l. 1. c. 22., illi tribuenda sunt, qui vocat, qui ut velimus invitat et vires implendi ea, quae imperat, subministrat.“ Quibus verbis clare duplicem illam describit praeparationem, quam exposuimus n. 13. „Certum est, inquit iterum[1]), nos facere, ut faciamus, sed ille facit, ut faciamus praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam, ut in justificationibus ambuletis etc.“

---

[1]) De grat. et lib. arb. c. 16. n. 32. Huc referri possunt et illa ep. 55. al. 119. n. 19: „Sicut cum bene operamur, ipse dicitur operari in nobis, cujus munere bene operamur; ita cum requiescimus, ipse requiescere dicitur, quo donante requiescimus.“ In Ps. 52. n. 5: „*Plerumque* ita loquitur Scriptura, ut quod dono Dei creatura facit, Deus facere dicatur: ut v. gr. cum misereris pauperis, quia dono Dei facis, Deus misereatur . . . quod dono ipsius facis, ipse facere dicitur, quia sine illo tu non faceres. Ergo Deus facere dicitur, cum tu facis.“ Neque cum s. Doctor loquitur de viribus efficacissimis, cogitandum est de gratia ex se efficaci efficacia operis, sed de gratia efficaci efficacia virtutis, ut ex-

25. Facit praeterea 3. Deus, ut faciamus, adjuvando nos. Et haec explicatio passim apud Augustinum [1]) reperitur. Ita enim scribit de gratia Christi c. 25: „Velle et operari operatur in nobis (Deus), non quia nos non volumus, aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus boni aliquid, nec agimus.“ Ep. 186. u. 3: „Nisi adjuvat (gratia Dei), nihil pietatis atque justitiae sive in opere sive etiam in ipsa voluntate habere possumus: Deus quippe operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate.“ Contra duas ep. Pelag. l. 1. c. 18. n. 36: „Non enim est homo bonus, si nolit, sed gratia Dei etiam ad hoc adjuvatur, ut velit, quoniam non inaniter scriptum est: Deus est enim qui operatur etc.“ Denique de gratia et lib. arb. c. 15. n. 31: „Quare jubet (facite vobis cor novum Ez. 18, 31.), si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est, nisi quia dat quod jubet, cum adjuvat, ut faciat cui jubet?“ Nec aliter Theodoretus in Ezech. 11, 19: „His autem non liberi arbitrii eversionem declaravit, sed futurum ab ipso (Deo) auxilium societatemque ad efficienda bona opera.“

---

plicavimus in annot. supra p. 33. et iterum explicabimus n. 28.

[1]) Cf. de gratia Chr. c. 47; ep. 194. al. 106. n. 16.; serm. 156. n. 11.

26. Imo 4) secundum Augustinum, ut Deus dici possit operari in cordibus nostris, sufficit, si quaedam extrinsecus permittit vel facit, quae hominibus jam malis occasionem praebent ad graviores lapsus; tantum abest, ut ejusmodi formulae secundum ipsum necessario designent gratiam ex sese efficacem. Hinc de gratia et lib. arb. c. 24. relatis Ezech. 14, 9. et Rom. 1, 24. ss. subdit n. 43: „His et talibus testimoniis . . . satis manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit sive ad bona pro sua misericordia, sive *ad mala* pro meritis eorum . . . Si autem potens est . . . operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit . . . quid mirum est, si per Spiritum s. operetur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est, ut ipsa corda essent ex malis bona.“ Et iterum docet[1]): „Scriptura divina, si diligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis et a se factas bonas in actus bonos et in aeternam dirigit vitam, verum etiam illas, quae conservant[2]) seculi

---

[1]) De gratia et lib. arb. 20. n. 41. et l. 5. c. Jul. c. 3. ss. Cf. Ripalda de ente supernat. Disp. 30. sect. 27.

[2]) Forte legundum *exornant*; loquitur autem, ut

creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari.“

27. Advertimus deinde *secundo*, ex nonnullis Scripturae patrumque, Augustini praesertim, effatis, quibus gratiae efficaciam subinde extollunt potentissimumque Dei in hominis voluntatem dominium describunt, praepostere judicari de gratia boni operis *universim*. Quid enim, si illa gratia, qua Paulus praeventus ex persecutore subito factus est apostolus, fuerit ex sese efficax, sequiturne, quotiescunque fidelis tenuissimam elicit attritionem, eum gratia praeveniri ex se efficaci? Vocat Augustinus gratiam *luminosissimam charitatem*, sequiturne propterea, quotiescunque homo qualicunque devotione recitat orationem matutinam, eum praeveniri semper luminossissima charitate? Caveantur ejusmodi illationes, in quibus conclusio latius patet praemissis. Non quaeritur, utrum inter innumera gratiae auxilia esse etiam possint vel etiam subinde dentur talia, quae sint ex sese efficacia, sed utrum homo, quotiescunque bene operatur, tali gratia praeveniatur, quae ex sese infallibiliter sit efficax, adeo ut fieri nequeat, ut non sequatur bonum opus manente eadem gra-

---

ex contextu liquet, etiam de voluntatibus malis deque peccatis ad quae inclinantur.

tia. Hujus propositionis *universalis* demonstrationem postulamus, sed non reperimus: neque enim probari potest testimoniis, quae vel ex ipsis verbis, vel ex adjunctis patent esse particularia.

28. *Tertium*, quod advertimus, eo redit, ut sedulo distinguamus inter haec duo, *gratiam esse ex sese invictam*, indeclinabilem, insuperabilem, et *gratiam reddere voluntatem* hominis gratiae cooperantis *invictam*, indeclinabilem, insuperabilem: illud generatim de *quacunque* gratia boni operis affirmari nequit; hoc autem nihil verius, nam homo gratia adjutus (quacum proinde libere cooperatur) merito dicere potest cum Paulo (Philip. 4, 13): *Omnia possum in eo, qui me confortat*; vel: *Quis separabit nos a charitate Christi? tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? . . . Certus sum, quia neque mors, neque vita . . . neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu D. N.* (Rom. 8, 35. ss.). Hoc cederet in gratiae injuriam, si, cum sit auxilium Dei et quidem Dei omnipotentis, non posset adeo solidare, roborare et adjuvare voluntatem, ut ea licet gratia adjuta par non foret ad edenda opera salutis et vincendas inimici insidias et tentationes. Ut vero hoc praestet, necesse non

est, ut ex sese sit efficax, sed ut voluntati subministret virtutem, robur invictum, quo voluntas utens (voluntatis est enim gratia uti, cf. n. 15.) invicta redditur. Hoc sensu scribit Augustinus de corrept. et gr. c. 8. n. 17: „Quando rogavit ergo (Christus pro Petro), ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam libertas defendatur voluntatis. Voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, et ut perseveret delectabilem perpetuitatem et insuperabilem fortitudinem.“ Et de gratia et lib. arb. c. 16: „Ille facit, ut faciamus, praebendo vires efficacissimas.“

28. Admodum oportuna sunt ad haec illustranda, quae subtiliter disputat Ripalda de ente supernat. D. 103. Docet scil. inter auxilia gratiae, quae voluntatem adjuvant, numerari posse actus voluntatis etiam deliberatos. Sane 1. ejusmodi actus juvant ad alios actus, ut perfecta charitas ad praeceptorum observationem, charitas proximi ad actus misericordiae: hinc 2. ejusmodi actus vocari possunt auxilia, sed etiam 3. gratia, utpote gratiae fructus[1]). Ergo

[1]) Hoc sensu dicit concilium tridentinum sess. 6.

inter auxilia gratiae referri possunt. Et revera patres de gratiae auxiliis disserentes, saepe de ejusmodi actibus intelligi possunt.

29. Hinc duo corollaria magni momenti infert[1]), dari scil. aliqua auxilia gratiae *intrinsece efficacia.* „Nam affectus absoluti et deliberati pietatis moventes voluntatem ad alios ejusdem pietatis actus referri debent inter auxilia gratiae . . . At inter affectus absolutos et deliberatos pietatis sunt plures, qui efficacia intrinseca movent voluntatem ad agendum alios, nam actus piae affectionis movet efficaciter arbitrium ad assensum fidei: actus efficax charitatis ad impletionem praeceptorum: intentio efficax finis ad electionem mediorum: actus efficaciter imperans ad imperatum: actus internus ad actionem meritoriam externam. Ergo inter auxilia gratiae admitti debent aliqua *intrinsece efficacia.* Infertur 2. plura Augustini testimonia, quae victoriam tentationum, praeceptorum adimpletionem aliaque illustria facinora referre videntur in efficaciam intrinsecam divinae gratiae, qua voluntas praemunitur a Deo, manifestam interpretationem habere, si dicas eam gratiam non esse pri-

---

cap. 16., tantam esse Dei bonitatem, ut velit justorum esse merita, quae ipsius sunt dona.

[1]) Ibid. sect. 5. n. 41.

mam excitantem et operantem, sed solam cooperantem arbitrio ad ea egregia facinora, videlicet pios voluntatis affectus absolutos et efficaces, qui voluntatem ad ea agenda praeveniunt ex prioribus auxiliis intrinsece indifferentibus et (quos) Ecclesiae patres inter dona Dei et gratiae auxilia recensent."

30. Jam vero haec gratiae auxilia ex sese efficacia triplici modo distinguuntur a gratia Thomistarum aliorumque ex se efficaci. Nam 1. hi loquuntur de gratia praevenienti, quae in actibus consistit indeliberatis, nos de gratia adjuvante, cooperante: 2. illi hanc efficaciam adscribunt gratiae antecedenter et independenter a voluntatis cooperatione, nos gratiae cui et quamdiu voluntas cooperatur: illi 3. hanc virtutem victricem adscribunt gratiae relate ad voluntatem, quam indeclinabiliter ad agendum applicat; nos gratiae cooperanti, quae virtutem suam communicat voluntati, ut ea sit invicta et victrix omnium tentationum, quas excitant caro, mundus, daemon. Verum haec sufficiant de actus salutaris genesi.

S. PROSPERI
EPISTOLA
AD
S. AUGUSTINUM
DE
RELIQUIIS PELAGIANAE HAERESEOS IN GALLIA SUBOLESCENTIBUS[1].

Domino, beatissimo papae, ineffabiliter mirabili, incomparabiliter honorando, praestantissimo patrono, Augustino Prosper.

Ignotus quidem tibi facie, sed jam aliquatenus, si reminiscaris, animo ac sermone

---

[1]) Cum s. Augustini scripta contra pelagianos, et praecipue liber *de correptione et gratia* multorum animos in Galliis offenderent, et potissimum inter massilienses monachos gravis esset de iisdem scriptis exorta contentio, Prosper Aquitanus, vir tum moribus, tum eloquio et studio clarus, nec non Hilarius quidam, qui consuetudinis s. Augustini deliciis potitus aliquando fuerat, et ejus doctrinae salubri lacte nutritus, non solum pro datis sibi a Deo viribus, oblata occasione, licet essent laici, catholicam doctrinam tueri conati sunt, sed etiam de mas-

compertus: nam per sanctum fratrem meum Leontium diaconum misi epistolas[1]) et recepi: nunc quoque beatitudini tuae scribere audeo, non solum salutationis, ut tunc, studio, sed etiam fidei, qua Ecclesia vivit, affectu. Excubante enim pro universis membris corporis Christi vigilantissima industria tua, et adversus haereticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante; nullo modo mihi verendum putavi, ne onerosus tibi, aut importunus essem in eo, quod ad multorum salutem, ac perinde ad pietatem tuam pertinet: cum potius reum futurum esse me crederem, si ea, quae valde perniciosa esse intelligo, ad specialem patronum fidei non referrem.

---

siliensium querelis, objectionibus, erroribusque Augustinum ipsum monuerunt, rogantes eum, *ut quae in istis quaestionibus obscuriora, et ad percipiendum difficiliora essent, quam lucidissimis expositionibus dignaretur aperire;* quod luculenter ille quantocius praestitit missis ad eosdem duobus libris, quos inscripsit *de praedestinatione Sanctorum*, et de *dono perseverantiae.* Has *Prosperi et Hilarii* epistolas ad s. *Augustinum* An. Ch. CDXXVIII. aut CDXXIX. ineunte datas constat: epistola autem Prosperi haec est. Impressa ea fuit in hoc t. editore inscio et absente, hinc desunt annotationes.

[1]) Al. e*pistolam*, haec non exstat.

2. Multi ergo servorum Christi[1]), qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuãe scriptis, quàe adversus pelagianos haereticos condidisti, contrarium putant patrum opinioni et ecclesiastico sensui[2]), quicquid in eis de vocatione electorum *secundum Dei propositum* disputasti. Et cum aliquamdiu tarditatem suam culpare maluerint, quam non intellecta reprehendere, quidamque eorum lucidiorem super hoc atque apertiorem beatitudinis tuae expositionem voluerint postulare, evenit ex dispositione misericordiae Dei, ut cum quosdam[3]) intra Africam similia movissent, librum de *Correptione et gratia*, plenum divinae auctoritatis emitteres. Quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato, putavimus omnes querelas resistentium sopiendas: quiã universis quaestionibus, de quibus consulenda erat sanctitas tua, tam plene illic absoluteque responsum est, quasi hoc specialiter studueris, ut quae apud nos erant tur-

---

[1]) Monachos intellige massilienses, ex quibus erat Joannes Cassianus nominatissimus semipelagianismi propugnator.

[2]) Al. *Christianorum parum opinioni et ecclesiastico sensui convenire.*

[3]) Monachos adrumetinos intelligit.

bata, componeres. Recensito autem hoc beatitudinis tuae libro, sicut qui sanctam atque apostolicam doctrinae tuae auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructioresque sunt facti: ita qui persuasionis suae impediebantur obscuro, aversiores, quam fuerant, recesserunt. Quorum tam abrupta dissensio primum propter ipsos metuenda est, ne tam claris tamque egregiis in omnium virtutum studio viris spiritus pelagianae impietatis illudat: deinde ne simpliciores quique, apud quos horum magna est de probitatis contemplatione reverentia, hoc tutissimum sibi aestiment, quod audiunt eos, quorum auctoritatem sine judicio sequuntur, asserere.

3. Haec enim ipsorum definitio ac professio est: Omnem quidem hominem Adam peccante peccasse; et neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari. Universis tamen hominibus propitiationem, quae est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicunque ad fidem et ad baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quae deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, praescisse ante mundi constitutionem

Deum, et eos praedestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, et de hac vita bono fine excessuros esse praeviderit. Ideoque omnem hominem ad credendum, et ad operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendenda vita aeterna nemo desperet, cum voluntariae devotioni remuneratio sit parata. Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum et rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliae sint creati, et lapsis curam resurgendi adimere, et sanctis occasionem teporis adferre: eo quod in utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos quam Deus definivit, accidere, et sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cum si aliud habeat praedestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas praeveniat voluntates, et sub hoc praedestinationis nomine, fatalem quandam induci necessitatem; aut diver-

sarum naturarum dici Dominum conditorem, si nemo aliud possit esse quam factus est. Utque brevius ac plenius, quod opinantur, exponam: quidquid in libro hoc ex contradicentium sensu sanctitas tua sibi opposuit, quicquid etiam in libris contra Julianum ab ipso sub hac quaestione objectum potentissime debellasti; hoc totum ab istis sanctis intentiosissime conclamatur. Et cum contra eos scripta beatitudinis tuae validissimis et innumeris testimoniis divinarum scripturarum instructa proferimus, ac secundum formam disputationum tuarum, aliquid etiam ipsi quo concludantur adstruimus, obstinationem suam vetustate defendunt; et ea, quae de epistola apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem divinae gratiae praevenientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant. Cumque, ut ipsi ea exponant secundum quorum velint sensa, deposcimus, nihil se profitentur invenisse quod placeat, et de his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus attigerit. Eo postremo pervicacia tota descendit, ut fidem nostram aedificationi audientium contrariam esse definiant; ac sic etiam si vera sit, non promendam: quia et

perniciose non recipienda tradantur, et nullo periculo, quae intelligi nequeant, conticeantur.

4. Quidam vero horum in tantum a pelagianis semitis non declinant, ut quum ad confitendam eam Christi gratiam, quae omnia praeveniat merita humana, cogantur, ne, si meritis redditur, frustra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii et rationalem gratia creatoris instituat, ut per discretionem boni ac mali et ad cognitionem Dei et ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem: atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire per naturalem scilicet facultatem, petendo, quaerendo, pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturae bene usus, ad istam salvantem gratiam initialis gratiae ope meruerit pervenire. Propositum autem vocantis gratiae in hoc omnino definiunt, quod Deus constituerit nullum in regnum suum, nisi per sacramentum regenerationis assumere, et ad hoc salutis donum omnes homines universaliter, sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per evangelicam prae-

dicationem vocari; ut et qui voluerint, fiant filii Dei, et inexcusabiles sint, qui fideles esse noluerint quia justitia Dei in eo sit, ut qui non crediderint pereant; bonitas in eo appareat, si neminem repellat a vita, sed indifferenter universos *velit salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire.* Jam hic proferunt testimonia, quibus divinarum Scripturarum cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui ex libero arbitrio aut faciant quae jubentur, aut negligant: et consequens putant, ut quia praevaricator ideo dicitur non obedisse, quia noluit, fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuisse, quia voluit: et quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum; parique momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes movere, quem bona appetentem gratia Dei foveat, mala sectantem damnatio justa suscipiat.

5. Cumque inter haec innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum, qui utique excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei judicio secernuntur; ut ante discretionem boni ac mali de usu vitae istius auferendi, alii per regenerationem inter coele-

stis regni assumantur heredes, alii sine baptismo inter mortis perpetuae transeant debitores: tales ajunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur aetatem, scientia divina praeviderit. Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non praeviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam, non negant esse praeventas. Sed in tantum quibuscunque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia praeterita non exstant, futura, quae non sint futura, confingant; novoque apud illos absurditatis genere, et non agenda praescita sint, et praescita non acta sint. Hanc sane de humanis meritis praescientiam Dei, secundum quam gratia vocantis operetur, multo sibi rationabilius videntur adstruere, cum ad earum nationum contemplationem venitur, quae vel *in praeteritis seculis dimissae sunt ingredi vias suas* (Act. 14, 15), vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantiae impietate depereunt, nec ulla eis aut legis, aut Evangelii illuminatio coruscavit: cum tamen in quantum praedicatoribus ostium apertum est, et via facta est, *gentium populus, qui sedebat in tenebris et in umbra mortis, lu-*

cem viderit magnam (Is. 9, 2); et qui quondam non populus, nunc autem populus Dei sit et quorum aliquando non misertus est, nunc autem misereatur: praevisos inquiunt a Domino credituros et ad unamquamque gentem, ita dispensata tempora ac ministeria magistrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum. Nec vacillare illud, quod *Deus omnes homines velit salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* (1. Tim. 2, 4); quandoquidem inexcusabiles sint, qui et ad unius veri Dei cultum potuerint instrui intelligentia naturali, et Evangelium ideo non audierint, quia nec fuerint recepturi.

6. Pro universo autem humano genere mortuum esse Dominum nostrum Jesum Christum, et neminem prorsus a redemptione sanguinis ejus exceptum, etiamsi omnem hanc vitam alienissima ab eo mente pertranseat: quia ad omnes homines pertineat divinae misericordiae sacramentum; quo ideo plurimi non renoventur, quia quod nec renovari velle habeant, praenoscantur. Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam aeternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint et auxilium gratiae merito credulitatis acceperint.

In istam vero talis gratiae praedicationem hi, quorum contradictione offendimur, cum prius meliora sentirent, ideo se vel maxime contulerunt, quia si profiterentur ab ea omnia bona merita praeveniri et ab ipsa ut possint esse, donari, necessitate concederent Deum *secundum propositum* et consilium voluntatis suae, occulto judicio et opere manifesto, *aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam* (Rom. 9, 21); quia nemo nisi per gratiam justificetur, et nemo nisi in praevaricatione nascatur. Sed refugiunt istud fateri, divinoque ādscribere operi sanctorum merita formidant: nec adquiescunt, praedestinatum electorum numerum nec augeri posse, nec minui; ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant; ac superflua sit industria ac laboris indictio, cujus studium cessante electione frustrandum sit. Ita demum enim posse unumquemque ad correctionem, aut ad profectum vocari, si se sciat sua diligentia bonum esse posse, et libertatem suam ob hoc Dei auxilio juvandam, si quod Deus mandat, elegerit. Ac sic cum in his, qui tempus acceperunt liberae voluntatis, duo sint, quae humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia et hominis obedientia; priorem

volunt obedientiam esse quam gratiam, ut initium salutis ex eo, qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat et voluntas hominis divinae gratiae sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.

7. Quod cum perversissimum esse, revelante Dei misericordia et instruente nos tua beatitudine, noverimus, possumus quidem ad non credendum esse constantes, sed ad auctoritatem talia sentientium non sumus pares: quia multum nos et vitae meritis antecellunt et aliqui eorum adepto nuper summo sacerdotii honore supereminent; nec facile quisquam praeter paucos perfectae gratiae intrepidos amatores, tanto superiorum disputationibus ausus est contraire. Ex quo non solum his, qui eos audiunt, verumetiam ipsis, qui audiuntur, cum dignitatibus crevit periculum; dum et multos reverentia eorum aut inutili cohibet silentio, aut incurioso ducit assensu et saluberrimum ipsis videtur, quod pene nullius contradictione reprehenditur. Unde quia in istis pelagianae pravitatis reliquiis non mediocris virulentiae fibra nutritur, si principium salutis male in homine collocatur; si divinae voluntati impie voluntas humana praefertur, ut ideo quis adjuvetur, quia voluit, non ideo quia adju-

vatur velit; si originaliter malus receptionem boni non a summo bono, sed a semetipso inchoare male creditur; si aliunde Deo placetur, nisi ex eo, quod ipse donaverit: tribue nobis in hac causa, papa beatissime, pater optime, quantum donante Domino potes, diligentiam pietatis tuae, (obsecro), ut quae in istis quaestionibus obscuriora, et ad percipiendum difficiliora sunt, quam lucidissimis expositionibus digneris aperire.

8. Ac primum, quia plerique non putant christianam fidem hac dissensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione patefacias. Deinde quomodo per istam praeoperantem et cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Tum utrum praescientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa, quae sunt proposita, sint accipienda praescita: an per genera causarum et species personarum ista varientur; ut quia diversae sunt vocationes, in his qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere; in his autem, qui aliquid boni acturi sunt, per praescientiam possit stare propositum: an vero uniformiter, licet dividi praescientia a proposito temporali distinctione non possit, praescientia tamen quodam ordine sit sub-

nixa proposito et sicut nihil sit quorumcunque negotiorum, quod non scientia divina praevenerit; ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo auctore defluxerit. Postremo quemadmodum per hanc praedicationem propositi Dei, quo fideles fiunt, qui praeordinati sunt ad vitam aeternam, nemo eorum, qui cohortandi sunt, impediatur, nec occasionem negligentiae habeant, si se praedestinatos esse desperent. Illud etiam qualiter diluatur, quaesumus, patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur et una sententia, qua propositum et praedestinationem Dei secundum praescientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia finem uniuscujusque praeviderit et sub ipso gratiae adjutorio, in qua futurus esse voluntate et actione praescierit.

9. Quibus omnibus enodatis et multis insuper, quae altiore intuitu ad causam hanc pertinentia magis potes videre, decussis; credimus et speramus non solum tenuitatem nostram disputationum tuarum praesidio roborandam, sed etiam ipsos, quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinio-

nis obscurat, defecatissimum lumen gratiae recepturos. Nam unum eorum praecipue auctoritatis, et spiritalium studiorum virum, sanctum Hilarium arelatensem episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremque in aliis omnibus tuae esse doctrinae et de hoc quod in querelam trahit, jampridem apud sanctitatem tuam sensum suum per literas velle conferre. Sed quia utrum hoc facturus, aut quo fine sit facturus, incertum est et omnium nostrum fatigatio, providente hoc praesenti seculo Dei gratia, in tuae caritatis et scientiae vigore respirat, adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis. Necessarium et utile est etiam, quae scripta sunt scribere, ne leve existimetur, quod non frequenter arguitur. Sanum enim putant esse, quod non dolet, nec vulnus superducta cute sentiunt: sed intelligant perventurum ad sectionem, quod habuerit perseverantem tumorem. Gratia Dei et pax Domini nostri Jesu Christi coronet te in omni tempore et ambulantem de virtute in virtutem glorificet in aeternum, domine papa beatissime, ineffabiliter mirabilis, incomparabiliter honorande, praestantissime patrone.

S. PROSPERI
IN CARMEN
ΠΕΡΙ ΑΧΑΡΙΣΤΩΝ
ID EST
DE INGRATIS
PRAEFATIO.

Unde voluntatis sanctae subsistat origo,
Unde animis pietas insit, et unde fides:
Adversum ingratos, falsa et virtute superbos,
Centenis decies versibus excolui.
Quod si tranquilla studeas cognoscere cura,
Tutus ab adverso turbine, Lector, eris.
Nec libertate arbitrii rapiere rebellis,
Ulla nec audebis dona negare Dei:
Sed bona, quae tibi sunt, operante fatebere Christo,
Non esse ex merito sumpta, sed ad meritum.

S. PROSPERI
ΠΕΡΙ ΑΧΑΡΙΣΤΩΝ
HOC EST
DE INGRATIS
CARMEN.

PARS I.

Occasio operis, et quanti momenti illud sit, auxilii divini invocatio. Dogmatum Pelagii recensio. Quid Ecclesia late per orbem universum egerit contra pelagianos. Africanorum episcoporum ope fuisse illos potissimum debellatos. S. Augustini laus. Pelagianam haeresim jam extinctam in semipelagianis reviviscere coepisse. Inducuntur pelagiani hos interpellantes, ut secum velint societatem inire, semipelagianos nullo modo posse hoc recusare. Pelagianorum oratio, qua postulant aut recipi iterum in Ecclesia, aut secum semipelagianos quoque expelli, cum in eadem doctrina conspirent.

PROOEMIUM.

Causa scriptionis indicatur, et divinum imploratur auxilium.

Congenitae in Christo[1]) gentis mihi castus ab alto
Insinuatus amor, proprias excedere vires

---

[1]) Per baptismum.

Me jubet, atque pias accendere carmine mentes:
Ne post confectum celebris victoria[1]) bellum,
Securos animos incauta pace resolvat;
Ceu metus eliso jam nullus ab hoste supersit;
Nec caput attriti virosum palpitet anguis.
Unde igitur commenta mali sopita resurgant,
Quemve ipso de fine[2]) dolum nova promat origo,
Da fari, Pater omnipotens, artemque malignam
Pandere, prostratus qua rursum nititur error.

CAPUT I.

Proponuntur dogmata Pelagii. Moriturum hominem, etiamsi non peccasset. Nullum esse peccatum originale. Peccatum Adami imitatione non propagatione posteris nocuisse. Posse hominem, si velit, solis naturae viribus ad culmen virtutum ascendere. Baptizari parvulos, ut quos Deus fecit creando bonos, faciat adoptando meliores. Gratiam secundum merita reddi.

Dogma, quod antiqui satiatum[3]) felle draconis,
Pestifero vomuit coluber sermone britannus,
Hac primos homines cretos ditione ferebat,
Ut seu praescriptum mandatum transgrederentur,

---

[1]) De pelagianis relata.
[2]) Causae pelagianae.
[3]) Imbutum, saturum.

Sive inculpati, servata lege, manerent,
Mortem istam prorsus, qua carnem vita relinquit,
Oppeterent, quae non peccato parta, sed ipso
Instituente Deo, comes esset fixa creatis.
Progenitos igitur nullum traxisse reatum
De patribus: neque dissimiles nunc nascier illos
Ortu primorum, qui libertate male usi
Peccarunt, forma nocui non semine proli[1]).
Posse autem insontes omnes virtutis in arce
Vitam agere et menti ingenitum servare decorem,
Arbitrio quoniam subsistat recta volentis
Naturalis honos[2]), lexque insita cordibus intus
Hoc moneat, quod scripta foris: cui gratia Christi
Addita, perfugium lapsis generaliter in se
Condiderit, sacro si vellent fonte novari:
Ut sponte attractum[3]) venia solvente reatum,

---

[1]) Non quod ex illo (*Adamo*) traxerint aliquod vitium, qui ex illo propagati sunt, sed quod eum primum peccantem imitati sunt omnes, qui postea peccaverunt.

[2]) *Naturalis honos*, innocentia, in qua nascuntur homines, potest conservari arbitrio proprio, quod rectum sequitur. Quod si quis labitur, remedium instituit Christus, baptismum scil., quo lapsi renovari iterum possint.

[3]) *Sponte attractum*, propria voluntate patratum, proinde peccatum personale.

Sponte sua in vires proprias natura rediret;
Quoque per errores esset spoliata vigore,
Hunc servare semel posset purgata receptum.
Tam dives vero hoc donum baptismatis esse,
Et tam multa homini conferri foedere in isto,
Ut parvis etiam vitioque carentibus omni
Congruat, ut qui sunt geniti bene, sint meliores,
Naturaeque bonum adjecto illustretur honore.
Nullum autem ex cunctis exsortem muneris hujus,
Judicio genitum esse Dei [1]); sed quemque mereri
Libertate sua, ut capiat promissa vocantis,
Quae sint aversis indebita, debita rectis.

[1]) *Judicio genitum esse Dei.* Quae non ita accipienda sunt, ac si Ecclesia vel Prosper doceret, quosdam judicio Dei ita nasci, ut *voluntate Dei antecedenti* exclusi censeri debeant a baptismi perceptione et hinc reprobati atque ideo pelagianos esse haereticos, quod hoc nollent agnoscere: hoc enim adversatur voluntati Dei salutiferae universali, qua *omnes homines* vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (1. Tim. 2, 4). Sed hoc Prosper pelagianis vitio vertit, ut mox dicit, quod docerent: »quemque mereri libertate sua, ut capiat promissa vocantis,« hinc etiam ut ad baptismum perveniat: in hoc proinde errabant, quod rationem, quare unus ad baptismum pertingat, alius ab eo excludatur, *unice* peterent a bono vel malo hominis merito, non vero a voluntate Dei, qui juste *permittere* potest, ut aliqui baptismum non consequantur.

CAPUT II.

Quam fortiter Ecclesia Pelagii doctrinam rejecerit. Sedes apostolica, concilium palaestinum a. 415. congregatum, in quo Pelagius ficto pectore errores abnegavit. Sub idem tempus Hieronymus in pelagianos dialogos scripsit. Pelagiani ab Attico archiep. constantinopol. repulsam passi. Ejecti Epheso. Pulsi e Sicilia.

Talia cum demens late diffunderet error,
Commentisque rudes traheret letalibus aures,
Adfuit, exhortante Deo, provisa per orbem
Sanctorum pia cura patrum, non dispare motu
Conficiens diros jaculis coelestibus hostes.
Iisdem namque simul decretis spiritus unus
Intonuit[1]). Pestem subeuntem prima[2]) recidit
Sedes Roma Petri, quae pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Relligione tenet. Non segnior inde Orientis

---

[1]) Laudat hic mirum consensum, quo ubique terrarum damnata fuit pelagiana haeresis.

[2]) *Prima recidit.* Sedes romana dicitur hic *prima*, vel ratione dignitatis (cf. opusc. 14, 34), ut mox explicatur, vel prima recidit hanc controversiam, quod tunc primum causa *finita* censeri poterat, cum Roma esset locuta atque approbasset decreta conciliorum duorum Africae, secundum illa Augustini s. 131. n. 10: „Jam de hac causa duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam finiatur aliquando error.“

Rectorum cura emicuit[1]), captumque nefandi
Dogmatis auctorem constrinxit lege benigna
Commentum damnare suum[2]), nisi corpore Christi
Abjungi, et sancto mallet grege dissociari.
Lene quidem hoc, nimiumque malos tolerasse videtur
Judicium; sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem:
Prospectum namque est, divino et munere cautum,
Ut licet instantem declinans bestia poenam,

---

[1]) *Synodum intelligit a XIV. episcopis praeside Joanne Jerosolimitano Diospoli habitam an Ch. 415.*

[2]) *Pelagius intentata in eum accusatione a duobus episcopis gallis Herote et Lazaro, qui sedibus suis pulsi in Palaestina degebant, compulsus est a diospolitana synodo damnare subtilissimum illud haeresis suae germen*: Gratiam Dei secundum merita hominum dari; *quod cum praestitisset, dimissus est. Sed* quod negavit ore, corde servavit, *ut inquit S. Augustinus lib. I. contra Julianum cap. 5. et idcirco s. Hieronymus eam synodum quasi miseram et infelicem deplorat. Nihilominns tamen s. Augustinus honorifice de ea semper loquitur* (cf. opusc. 18, 58), *et quidem plurimum eontulerunt ad reprimendam subeuntem haeresim tum judicium illud palaestinorum patrum, tum professio Pelagii, qualiscunque fuerit, ut optime in his ipsis versibus innuit s. Prosper.*

Perfidiae secum sensus tenuisset eosdem;
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam extinguens sobolem, quam protulit ore.

Tunc etiam Bethlei praeclari nominis hospes,
Hebraeo simul et graio, latioque venustus
Eloquio, morum exemplum, mundique magister
Hieronymus libris[1]) valde excellentibus hostem
Dissecuit[2]); noscique dedit, quo turbine veram
Vellent exortae lucem obscurare tenebrae.

Quid loquar et curam magna quam gessit in urbe
Constantinopoli, docto bonus ore sacerdos
Atticus, antiqua legatos haereticorum
Confutando fide? de qua[3]) tunc impia corda,
Quamvis se obducta tegerent[4]) velamine forma
Judicii, et tacitae tulerant tormenta repulsae[5]).

---

[1]) *Dialogorum praecipue et ep. ad Ctesiphontem, quae edita sunt circa tempora synodi diospolitanae, ut colligitur ex Orosio in Apologia.*

[2]) *Non solum quia acri stilo eum perstrinxit, sed etiam quia praecipuum locum tenebat eos inter qui, ut loquitur synodus milevitana in ep. ad Innocentium Papam* §. 3. ejus sensus diligentius indagare potuerunt.

[3]) Urbe.

[4]) *Jus appellationis quamvis praetenderent.* Forte legendum: obductae . . . formae judicii tulerunt etc.

[5]) *Scilicet Atticus* ita eos persecutus est pro rege (*Christo*) communi, ut iis ne standi quidem il-

Praetereo quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Ephesos [1]), non passa suis consistere tectis
Vasa irae, et morbi flatus et semina mortis.
Quaque fide tellus etiam Trinacria[2]) fervens,
Agmen vipereum propriis exegerit oris.

---

lic copia praestaretur, *ut loquitur Coelestinus P. in ep. ad Nestorium.*

[1]) *In ephesina synodo damnatos esse pelagianos animadvertit Photius Cod.* 54. *et constat ex ipsius synodi epistola ad Coelestinum Papam* §. 6. *sed hi versus alio tendunt, si s. Augustino, ut videtur, superstite editi sunt. Fortassis, cum ubique gentium post Zosimi Papae Tractoriam damnari se viderent, Ephesum confugere memores, quod Coelestius Carthagine* privatus communione ecclesiastica ibi ausus est per obreptionem, *ut tradit M. Mercator*, locum presbyterii petere; *sed populari tumultu repulsi sunt: nisi forte contra ipsum potius Coelestium mota sit seditio, cum compertum est, quod ephesinae ecclesiae illusisset.*

[2]) *Inimici gratiae Dei ab an.* 414. *in Siciliam jam irrepserant, ut constat ex epistola Hilarii syracusani ad s. Augustinum. Anno* 419. *cum ibidem aliqui episcopi damnationi pelagianorum subscribere recusarent, sedibus suis pulsi sunt.*

CAPUT III.

Pelagianam haeresim africanorum praesulum ope potissimum fuisse debellatam. Augustini laus. Uni omnium Augustino victoriam de pelagianis deberi. Praestantia librorum Augustini pro gratia. Ab humilibus solum salubriter leguntur.

Tu causam fidei flagrantius, Africa, nostrae[1])
Exsequeris: tecumque suum jungente vigorem
Juris apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, et lato prosternis limite victos.
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoque[2]) senum celeberrima coetu
Decernis quod Roma[3]) probet, quod regna sequantur[4]).

---

[1]) Al. nostra, *quasi nostrarum partium, uti mox* nostri *dicuntur episcopi afri.*

[2]) *Geminum hunc coetum nonnulli accepere pro Conciliis carthaginensi et milevitano habitis sub Innocentio I.* (quorum literas cf. opusc. 18, 40. ss.), *alii intelligunt de duobus carthaginensibus celebratis sub Zosimo.*

[3]) *Per Zosimum una cum clero romano, unde non solum Zosimo, ut apud s. Aug. lib.* 6. *contra Julianum, sed etiam clericis romanis ut legere est apud eundem s. Augustinum lib.* 2. *ad Bonifacium cap.* 3. *praevaricationis notam pelagiani inurebant. Ille autem de clero, qui eis anathema in populo frequentissimo prior pronunciavit, Sixtus fuit, qui postea in Petri cathedra Coelestinum excepit.*

[4]) *Regna sequantur.* Imperator siquidem Hono-

Nec sola est illic synodorum exserta potestas,
Ceu quos non possent ratione evincere nostri,
Vi premerent: discussae artes, virusque retectum est
Haeretici sensus, nullumque omnino relictum,
Docta fides quod non dissolveret argumentum.
Condita sunt, et scripta manent, quae de cataractis
Aeterni fontis fluxere undante meatu,
Et ter centenis procerum sunt edita linguis:
Sic moderante suam legem bonitate severa[1]),
Ut qui damnato vellent de errori reverti,
Acciperent pacem[2]), pulsis qui prava tenerent.

---

rius conciliorum istorum auctoritatem secutus, legem tulit in pelagianos a. 418. Ipse Prosper se exponit l. c. Collatorem c. 21. al. 41., dum ait: „Sanctae memoriae Bonifacius piissimorum imperatorum catholica devotione gaudebat, et contra inimicos gratiae Dei non solum apostolicis, sed etiam regiis utebatur edictis.“

[1]) *Etiam in Zosimi Papae Tractoria Pelagius et Coelestius* toto christiano orbe damnati sunt, nisi correcti etiam egerint poenitentiam, *ut narrat s. Augustinns ep.* 190. *num.* 22.; *et in libro de pecc. orig. cap.* 22. *de iisdem loquitur ut* prius aut in locum poenitentiae redactis, aut, si id recusaverint, omnino damnatis.

[2]) *Veniam, atque adeo communionem ecclesiasticam.*

An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius [1]), ingeniumque
Augustinus erat? quem Christi gratia cornu [2])
Uberiore rigans, nostro lumen dedit aevo
Accensum vero de lumine: nam cibus illi,
Et vita, et requies, Deus est; omnisque voluptas
Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi:
Et dum nulla [3]) sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, et in sancto regnat sapientia templo.
Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras [4]), industria major,
Majus opus, totum praestantius imbuit orbem.
Nam quocunque gradum convertit callidus hostis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est praeventus, mille viarum
Insidiis aditum non reperientibus ullum.
Cumque foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes;
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,

---

[1]) *Episcopus carthaginensis, ac primas totius Africae.*

[2]) *Alludit ad cornu seu vas olei, quo ungebantur reges et sacerdotes hebraeorum.*

[3]) *Contra id quod faciunt* Ingrati.

[4]) *Pelagianos.*

Istius ore viri fecit Deus: istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quae mites humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinae immittere rivos.

CAPUT IV.

Exstinctam ab Ecclesia in pelagianis haeresim in semipelagianis reviviscere coepisse. Error semipelagianorum. Affectum bene volendi homini naturalem esse, ut male volendi.

Jamque procellosae disjecto turbine noctis,
Heu! nova bella, novi partus oriuntur in ipso
Securae matris[1]) gremio: quae crescere natis
Visa sibi, discors horret consurgere germen,
Degeneres pavitans inimico ex semine foetus,
In quibus ante diu, specie[2]) fallente, benignus
Errarat genitricis amor, cum obducta decoris
Moribus, externae stirpis tegeretur origo.
Sic veris subeunt falsa, et discrimine coeco
Fronte placent, quae fine latent: sic laudis amore

---

[1]) Ecclesiae, quae secura videbatur pelagianis damnatis. Sic supra v. (15.) securos animos.

[2]) Habebant enim primi illi semipelagiani „speciem pietatis in studio, et apud simpliciores magnam de probitatis contemplatione revetentiam obtinebant“, ut ejusdem s. Prosperi verbis utar in lib. contra Collatorem cap. 1. et in ep. ad s. Augustinum.

Virtutum studium corrumpitur; atque ab honesto
Principio in vitium exitur plerumque tumoris:
Quo quidam inflantur nunc turpiter, atque perempti
Dogmatis exstinctas tentant animare favillas;
Dum libertatem arbitrii affectumque volendi
In naturalis [1]) motus virtute locantes,
Tam bona quemque docent sectari posse suopte
Ingenio [2]), quam posse subest cuique in mala ferri [3]).

Quod qui confirmas, quinam distabis ab illis [4]),
Qui dicunt nullo peccati vulnere laesum
Naturale bonum [5]), cumque illo lumine nasci
Nunc omnes homines, quod primis ingeneratum est?

---

[1]) Al. (ex conjectura), naturali.

[2]) Facultate volendi.

[3]) Placet commentarii loco describere ejusdem sancti Prosperi verba in ep. ad s. Augustinum eundem semipelagianorum errorem ita referentis: „Quantum quisque ad malum tantum habeat facultatis ad bonum; parique momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes convertere.“

[4]) Pelagianis.

[5]) *Naturale bonum*, illud scil. *quod primis* parentibus *ingeneratum* est, proinde bonum *originale*. Nullo modo possunt haec Prosperi verba trahi ad eam confirmandam sententiam, quae docet, Adami

An vero excerpis quaedam, quae parte recisa[1])
Suscipias, cordisque sinu purgata recondas?
Dic igitur quidnam inde probes, quid vero refutes,
Et de damnatis quid sit, quod crimine solvas.
An dextram pacis palam[2]) dare te pudet hosti?
Nec tutum est ulla pulsos ex parte tueri[3])
Simpliciter? Quos non dubitas excludere templo[4]),
Pelle animo. Nova te discordia dividit abs te:
Corde foves, quod in ore premis. Conjungere amicis
Mentibus, et tecum cupidis componere foedus
Lege[5]) tua: jam parce minis, et congrue pactis.

---

peccato non solum periisse bona supernaturalia et praeternaturalia protoparentibus collata, sed et ipsam naturam humanam in se fuisse laesam; adeo ut secundum bona naturalia natura lapsa deterioris conditionis sit quam in statu naturae purae. Evidenter enim Prosper hic nomine boni naturalis omnia ea intelligit, quae ab initio Adamus habuit sive ea fuerint naturae debita, sive praeter et supra debitum naturae. Jamvero si bonum naturale horum omnium bonorum *summa* est Prospero, illud profecto *laesum* fuit, etiamsi Adamus amiserit tantum, quae sunt supra naturae debitnm.

[1]) Unde semipelagianismi nomen a dimidiato nimirum pelagianismo.

[2]) Si cui syllabae quantitas immutata non placeat, legat: pacemque palam.

[3]) Ex parte tueri, non vero ex parte pulsos.

[4]) Tamquam haereticos.

[5]) Conditionibus a te praescriptis.

CAPUT V.

Semipelagianos a pelagianis non discrepare, adeoque publice cum illis pacem inire debere.

Ecce pererratis terrarum finibus adsunt,
Implentesque tuas lacrymosis questubus aures
Incipiunt: Pulsi mundo, nullaque recepti
Sede vagi, tandem fama exhortante redimus,
Quaeque placent vobis amplectimur: edita nobis
Doctrinae vestrae est pietas; nihil inficiando
Discutimus: liceat vobiscum jungere sensum.
Immortalem hominem factum si creditis, et nos
Credimus; inciderit mortem peccando, suamque
Progeniem culpa et letho devinxerit omnem:
Nullus non egeat sacro baptismate Christi,
Infantesque etiam purgentur fonte lavacri[1]):
Dum nostri decus arbitrii, lumenque creatum
Principio, quod sponte potest insistere rectis,

---

[1]) *Purgentur fonte lavacri.* Pelagiani non negabant baptizandos esse infante, sed negabant, eos baptismo *purgari*, quod carerent originis peccato. Cf. supra v. 35. ss. Semipelagiani vero peccatum originale admittebant. Ut ergo auctor noster totum virus erroris semipelagianorum patefaciat, quamque affine sit errori pelagianorum praecipuo, inducit hos paratos ad reliquos omnes errore rejiciendos, dummodo semipelagiani idem cum ipsis sentiant circa naturae sufficientiam ad actus salutares, saltem ad salutis initium negentque proinde absolutam gratiae praevenientis necessitatem.

Manserit illaesum, nec viribus absit ab illis,
Quas condente Deo generaliter omnis in Adam
Suscepit natura hominis, nec suppetat ulli
De non accepta arbitrii virtute querela:
Cum sine delectu seu lex seu gratia Christi
Omnem hominem salvare velit[1]): donumq; vocantis
Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud
Libertate sua proprioque vigore venire;
Sitque salus dignis salvari ex fonte volendi.
Haec si vestra fides, vestra est doctrina, remotis
Quae vestro exemplo rejecimus, addite sanctis
Nos gregibus, tandemque boni defendite vestros.

---

1) *Cum sine delectu* etc. Non exprobrat Prosper pelagianis, quod admitterent voluntatem Dei salutiferam *plane universalem*, haec enim doctrina catholica est (cf. opusc. t. 16. p. 143. annot.), sed quod doceret 1) ita Deum velle omnium salutem, ut quilibet *libertate sua proprioque vigore* citra gratiam ad illam pervenire possit: quod 2) contenderent voluntatem Dei salutiferam esse indifferentem seu *ex aequo* aequali affectu omnium velle salutem cum certum sit, Deum licet *sincere* omnium velit salutem, quosdam *absque eorum meritis* speciali prosequi dilectione, majorique gratiarum copia praevenire atque adjuvare. Cogitandum proinde hic non est de *delectu ad gloriam* ante praevisa merita, sed de *delectu* ad *abundantiorem* gratiam ante praevisa merita.

CAPUT VI.

Non posse qui haec sentiant pelagianorum societatem recusare, nisi sententiam mutent, neque amplecti, nisi palam ab Ecclesia dissentiant.

Talia submissus si defleat hostis apud te,
Quid referes? quo te affectu comperta movebunt?
Consultas, trepidas, nutas, cunctaris et haeres,
Quove anceps se praecipitet sententia, volvis.
Injustum est animis cognatis non dare pacem:
Et quos una fides, eadem sapientia nectit,
His communem aditum sanctorum ad sancta[1]) negare.
Jungere sed foedus cum talibus[2]) et violare
Sanctorum decreta patrum[3]), regumque piorum[4]),
Scriptas lege Dei leges contemnere, multum
Hostile est, nimiumque audax et perniciosum.
Ergo Petri solium Romam, et Carthaginis altae
Concilium[5]) repetant humiles: eademque perorent,

---

[1]) Ad templa et sacramenta.

[2]) Fingit quid formidarent semipelagiani.

[3]) Pontificum romanorum et synodorum contra pelagianos.

[4]) Theodosii et Valentiniani, Honorii etc., qui leges contra pelagianos tulerant.

[5]) Carthaginense an. 418. cujus sententiam Zosimus confirmavit.

Quae frustra hic trepido[1]) sunt deplorata favori.
Sed cum mille senum[2]) prudentia pervigil olim
(Perspectum notumque tenens, quod tota nefandae
Haereseos summa exigua sub parte tegatur[3]),
De qua plena mali labes renovetur et omne
Commenti corpus per singula membra resurgat);
Antiquas adhibentem artes rejecerit hostem,
Limitibusque suis steterit[4]) censura salubris:
Numquid non justus poterit dolor abdita cordis
Rumpere, et in tales miseros excire querelas,

---

[1]) Trepidanter ob leges ecclesiasticas et imperiales pelagianis favebant massilienses.

[2]) Poetice pro magno numero.

[3]) Haec ita enunciat Prosper c. Collatorem c. 21. n. 4: „Igitur hujusmodi hominum (semipelagianorum) pravitati non tam disputationum studio, quam auctoritatum (pontificum et conciliorum, qui illos in pelagianis jam damnarunt) privilegio resistendum est: ut de prostrati dudum dogmatis (pelagiani) corpore nullum membrum sinatur assurgere. Quia notum est, ita falsitatis istius haberi versutias, ut si senserit, praetenta correctionis imagine, aliquos (*al.* aliquod) sibi faventium radicis suae germen excipere, totam se velit ex sui parte minima reparare. Ubi enim non aliud habet summa quam portio, non est devotionis dedisse prope totum, sed fraudis retinuisse vel minimum.“

[4]) Rata et firma remanserit damnatio pelagii et Coelestii, eorumque sectatorum.

Ut dicant: Quaenam ista, Patres, in cordibus almis
Justitia est? quo[1]) fine graves, quo fine severi,
Claudere terrarum nobis persistitis orbem?
Nosne sumus toto mundo[2]), quorum undique vobis
Sit suspecta fides, quos non tolerare queatis,
Si nostra a vestro vel syllaba dissonet ore?
Non verbis jam nos argumentisve tuemur,
Judicium exemplo[3]) petimus. Quod pace[4]) manente
Libera multorum vox adstruit, hoc sine bello
Cedatur nobis. Non nostra inventa fovemus,
Nec primis studiis insistimus: ecce recisum est,
Unde olim certamen erat: vestrisque reversi
Cedimus[5]) et quaecunque illis placuere probamus.

---

[1]) Quousque.

[2]) Soli ex cunctis hominibus.

[3]) Ab exemplo semipelagianorum al. extemplo, sed incongrue.

[4]) Salva communione ecclesiastica.

[5]) *Vestrisque reversi cedimus.* Respicit hic pacta, quae pelagianos cum semipelagianis iniisse supra v. 160 ss. finxerat. Inducit ergo pelagianos postulantes, vel recipi in Ecclesiam, cum renunciaverint suis erroribus idemque sentiant cum semipelagianis, qui habentur catholici neque damnantur, vel cum ipsis damnandos esse etiam semipelagianos.

Quid superest culpae? quo[1]) nos decet usque repelli?
Si vero haec etiam, quae nos pia ducimus[2]), absunt
A veris et vestra illis bene cura repugnat:
Cur extra invidiam poenamque erroris habentur
Qui damnata docent, et per clara oppida[3]) tuti
His magnos implent populos, quae nos perhibentes
Plectimur, et nulla sinimur consistere terra?
Haec in pontificum sancto deprompta senatu,
Quam curam exigerent et quae decreta moverent,
Perspicis. An quoniam culpa securus operta[4])
Non premeris synodo, nec te poenae metus urget,
Spernis propositi speciem terroris, et isthaec,
Plena velut vanis simulacris somnia rides?
Ergo gerendorum eventu et fine remoto[5]),

---

[1]) Quousque.

[2]) Una cum semipelagianis.

[3]) Nempe Massiliae, aliisque locis in Gallia, ut ait Hilarius Prosperi amicus in ep. ad s. Augustinum.

[4]) *Culpa securus operta*, quoniam securus, quia nondum clare ubique innotuit venenum doctrinae vestrae etc.

[5]) *Ergo gerendorum.* Omissis iis, quae deberent vel possent fieri, ex illis, quae in pelagianis damnata sunt, ostendere vult et semipelagianorum doctrinam esse damnatam.

Haec tantum in medium, quae jam sunt gesta, vocemus:
Ut facile ex illis, quale hoc sit discutiatur,
Quod disceptantes dudum in diversa movemur.

S. PROSPERI
CARMEN
DE INGRATIS.

PARS II.

Tria capita haereseos pelagianae proponuntur, quae ipsi semipelagiani fatebantur damnata. Semipelagianorum doctrina exponitur. Quod de gratia Dei omnibus ex aequo oblata asserebant, exemplo refellitur eorum infidelium, quibus Evangelium nunquam praedicatum fuit. Quomodo omnipotentiae Dei detraherent, dum misericordiam ejus extollere videbantur in eo, quod velit omnes homines salvos fieri. Gratiae natura et vis describitur, ut pateat eorum doctrinae perversitas qui dicebant, quod solum a naturali liberi arbitrii vigore pendet, ut quis gratiam amplectatur, aut respuat, et unus perseveret, alter non perseveret. Fidem donum esse gratuitum, et neminem posse illam mereri. Quales sint virtutes infidelium. Pelagii dogmata ex semipelagianorum doctrina resurgere.

CAPUT VII.

Haereseos pelagianae capita, quae ipsis fatentibus semipelagianis ab Ecclesia damnata sunt: hominem ab omni peccati labe purum nasci; posse unumquemque, si velit, sine peccato ducere vitam; per legem Moysi salutem obtineri potuisse; gratiam secundum merita dari.

Inter multa suis quae tradidit haeresiarches [1]),
(Quod cognoscis) ait, naturam, quae bona facta est,
Nullis cum vitiis in quoquam omnino creari,
Nec cuiquam primi culpam nocuisse parentis;
Et quoniam tales nascantur nunc quoque, qualis
Ille fuit nostri generis pater ante reatum,
Posse hominem sine peccato decurrere vitam,
Si velit, ut potuit nullo delinquere primus
Libertate sua. Nempe haec damnata fateris
Conciliis mundique[2]) manu. Connectit et illud
Idem auctor, quod lex ita sanctos miserit olim
Coelorum in regnum, sicut nunc gratia mittit.
Hoc quoque judicio sancto scis esse peremptum.
Objectum est aliud[3]), ipsum dixisse magistrum,

---

[1]) Pelagius.

[2]) Imperialibus legibus Theodosii et Valentiniani, Honorii, Constantini etc.

[3]) *Objectum est aliud* scil. Pelagio in synodo diospolitana.

Quod meritis hominum tribuatur gratia Christi,
Quantum quisque Dei donis se fecerit aptum.
Sed nimis adversum hoc fidei, nimiumque repugnans
Esse videns, dixit se non ita credere[1]), et illos
Damnari dignos, quorum mens ista teneret.
Quo cernis, cum judicibus damnantibus ista
Consensisse reum: nec quemquam haec posse tueri;
Quae tamen ipse suis rursum excoluisse libellis
Detegitur, reprobum in sensum fallendo reversus.

CAPUT VIII.

Semipelagianorum doctrina. Gratia *qua christiani sumus*, omnes invitat, nec ullus est, cui salutem afferre non studeat, sed *naturali* quisque arbitrio pareat vocanti, quae edoctus didicit, exsequitur, ac in virtutis studio perseverat.

Nunc igitur, quoniam quid nostris displicuisset
Ostensum est, quam sana fides sit vestra patescat.

---

[1]) Cum palaestini patres hunc errorem Pelagio objecissent, respondit: „Haec utrum Coelestii sint, ipsi viderint, qui dicunt ea Coelestii esse; ego nunquam sic tenui, sed anathematizo qui sic tenent.“ V. s. Aug. in lib. de gestis Pelagii cap. 14.

Gratia, qua Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum, et formam hanc adscribitis illi,
Ut cunctos vocet illa quidem invitetque nec ullum
Praeteriens studeat communem adferre salutem [1])
Omnibus, et totum peccato absolvere mundum;

---

[1]) Ne haec praepostere accipiantur atque semipelagianis tribuantur, quae omnino sunt catholica vel saltem citra ullam erroris umbram a catholicis theologis defenduntur, nonnulla sunt animadvertenda. 1. Quo sensu gratia, *qua christiani sumus*, gratia proxima fidei et justificationis, quosdam praeterire dici possit, ita ut tamen verum maneat, Deum omnes velle salvos fieri et *hinc* omnibus dare gratiam ad salutem vere sufficientem, explicavimus opusc. t. 3. p. 40 ss. 2. Semipelagianum est affirmare hominis esse arbitrio *naturali* parere gratiae vocanti, sed catholicum est docere, hominis gratia jam praeventi et excitati esse Deo excitanti atque vocanti assentire ac parere, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat (Conc. trid. Sess. 6. cap. 5. et can. 4. Cf. praef. n. 14). 3. Erroneum est admittere gratiam tantum externam, vel gratiam, quae tantum doceat, quid faciendum sit: hanc vero solam agnovisse semipelagianos, docet hic Prosper; hinc quoque falsum est aliud illorum doctrinae caput, hac sola gratia hominem adjutum servare posse omnia Dei mandata atque ad finem usque perseverare. Sed omnino catholicum est docere, posse hominem *gra-*

Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Judicioque suo, mota se extendere mente
Ad lucem oblatam, quae se non subtrahat ulli,
Sed cupidos recti juvet, illustretque volentes.
Hinc adjutoris Domini bonitate magistra
Crescere virtutum studia, ut quod quisque petendum
Mandatis didicit, jugi sectetur amore.
Esse autem edoctis istam communiter aequam
Libertatem animis, ut cursum explere beatum
Persistendo queant: finem effectumque petitum
Dante Deo, ingeniis qui nunquam desit honestis.
Sed quia non idem est cunctis vigor et variarum
Illecebris rerum trahitur dispersa voluntas,
Sponte aliquos vitiis succumbere, qui potuissent
A lapsu revocare pedem, stabilesque manere.

---

tia immediatae illustrationis et inspirationis adjutum libera voluntate in omni crescere virtute, „atque accepta per baptismum gratia *omnes baptizatos* (non tantum aliquos electos) Christo auxiliante et cooperante quae ad salutem pertinent *posse* et debere, *si* fideliter laborare *voluerint*, adimplere (Conc. arausic, II. can. 25),“ *ac proinde perseverare:* hac gratia supposita non est semipelagianum docero alios, perseverare, alios vero „sponte vitiis succumbere, qui potuissent a lapsu revocare pedem stabilesque manere (infra v. 269. s.).

CAPUT IX.

Refellitur doctrina (pelagiana) de gratia Christi omnibus oblata. Occurritur semipelagianorum exceptioni duplici, fidem ideo omnibus non esse annunciatam, quod lumine naturae abutentes indigni facti sint Evangelio: ideoque non omnes salvari, quod homines nolint.

Jam quia summatim, ut potuit, sententia vestra
Decursa est: Dic unde probes, quod gratia Christi
Nullum omnino hominem de cunctis, qui generantur,
Praetereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit? Nec enim vel tempore nostro
Omnibus in terris jam certum est insinuatum
Christi Evangelium: ne dicam, exordia doni[1])
Non potuisse simul toto decurrere mundo.
Illa quidem ad cunctos ferri sunt jussa; sed uno
Tempore non agitur, quod tempore dicitur uno.
Dumque suis aditus Domino pandente ministris
Crescunt primitiae, fuerint omnino necesse est
Quaedam terrarum partes, ubi gratia nondum
Corda hominum tenebris absolverat impietatis,
Et dira innumeri demersi nocte peribant,
Cum multae accepto fulgerent lumine mentes.

---

[1]) Evangelii.

An bonitas divina quidem non destitit omnes
Velle vocare homines, sed non simul apta fuerunt
Corda[1]), quibus possent conferri dona salutis;
Dum morum obsistit feritas truculenta magistris,
Difficilesque aditu transcurrit gratia gentes:
Ut quoniam lucem offerri voluisset, et ipsis
Demonstrare[2]) Deus: sua quemque adversa voluntas
Arguat, et culpa obstringat, quia lumine primo[3])
Per vitia oppresso, sit facta indigna secundo[4])?
Quod si firmatur[5]), nequidquam plectimus illos,

---

[1]) Semipelagianorum effugium praevenit, quod ita etiam refert in ep. ad Rufinum cap. 15.: „An dicendum est, voluntati Dei humanas obsistere voluntates, et tam feros tamque intractabiles horum hominum esse mores, ut Evangelium ideo non audiant, quia praedicationi impia corda non pateant?

[2]) Forte, se monstrare. His autem versibus haec alia respondent ejusdem s. Prosperi verba in ep. ad s. Augustinum §. 5: „Quandoquidem, ajunt, inexcusabiles sint, qui et ad unius veri Dei cultum potuerint instrui intelligentia naturali: et Evangelium ideo non audierint, quia nec fuerint recepturi."

[3]) Intelligentia naturali.

[4]) Praedicatione Evangelii.

[5]) Nota effugium semipelagianorum, et quomodo in duos Pelagii errores inciderent 1. Naturam huma-

Qui nullum innatum vitium nascentibus ajunt,
Incolumique omnes cum libertate creari;
Gratia quos Christi meritorum examine justo
Eligat, et dignos vita vocet, accipiatque[1]).
Namque utrumque simul[2]) sapitis, qui dicitis, omnes
Omnibus oblatum potuissse apprendere munus,
Naturae quoniam non sit detracta facultas:
Nec sine justitia pereant, qui mentis honorem
Sordibus obruerint vitiorum, ut lumen ab alto

---

nam esse adhuc integram, ut in Adamo. 2. Gratiam secundum merita dari.

[1]) Reprehenduntur ergo 1. pelagiani, quod docuerint, „incolumi omnes cum libertate creari", quali scil. pollebat Adamus, non vero qui statuunt, libertatem et facultatem hominis lapsi in ordine ad bonum ethicum secundum se et intrinsecus non differre a libertate et facultate hominis in statu naturae purae. Damnatur 2. ea pelagianorum opinio de gratiarum distributione, ex qua sequitur gratiam conferri *secundum merita viribus naturae parta.* Propterea falsa censeri nequit eorum sententia, secundum quos aliqua saltem gratia proxime vel remote sufficiens *omnibus gratis* datur ita, ut *cuicunque* facienti quod est in se cum hac gratia, qua praevenitur et adjuvatur, *uberior* divinitus concedatur. Dum vero hi theologi statuunt *omnibus* aliquam saltem conferri gratiam, non negant, posse Deum pro lubitu quosdam absque ullo horum merito abundantiari gratia praevenire ac velut inundare.

[2]) Cum pelagianis.

Emissum indigna nollet requiescere sede.
Sic, quod nascendo est unum[1]), distare volendo;
Ut meritum ad paucos[2]), naturaque spectet ad omnes.

Sed tamen haec aliqua si vis ratione tueri,
Et credi tam stulta cupis: jam pande quid hoc sit,
Quod bonus omnipotensque Deus, non omnia subdit
Corda sibi, pariterque omnes jubet esse fideles?
Nam si nemo usquam est, quem non velit esse redemptum,
Haud dubie impletur, quicquid vult summa potestas[3]).
Non omnes autem salvantur, magnaque pars est,

---

[1]) Nempe omnes nativa arbitrii libertate esse aequales, sed effici inaequales dispari ejusdem usu.

[2]) Ita ut pauci mereantur, quod merendi omnes habent naturalem facultatem.

[3]) Cf. quae annotavimus opusc. 16. p. 128. Ea tantum de voluntate Dei salutifera universali theoria reprobatur, ex qua sequitur, ut mox explicatur, hominis arbitrio validam reddi voluntatem Dei salvificam, adeo ut ea invalida et inefficax sit, nec possit hominis pro lubitu immutare voluntatem, nisi haec *prius* incipiat, velit, praeferat affectum. Hoc vero nemo eorum docet, qui statuunt, Deum voluntate antecedenti omnium velle salutem, ab hominum vero

Quae sedet in tenebris mortis, nec vivificatur.
An varii motus animorum talia gignunt?
Libertasque facit causam non omnibus unam?
Ergo hominis valida arbitrio divina voluntas,
Aut etiam invalida est, operis cui finis in illo est.
Quem frustra juvisse velit, nisi praeferat ille
Affectum, cujus comitetur gratia cursum.

CAPUT X.

Mira gratiae virtus et gratiae internae necessitas.

At si dimota certandi nube, serenis
Quae sunt vera oculis mecum intueare modeste:

---

cum gratia cooperatione pendere, utrum actu salvi fiant, atque ideo non omnes fieri salvos, quod nolint, cum gratia non cooperentur. Licet enim haec defendant, concedunt tamen ultro 1. Deo non deesse gratias, quibus vel obstinatissimam voluntatem inflectere, immutare sibique morigeram reddere possit. 2. Rationem principem, cur plures salvi fiunt, non esse *naturale* hominis arbitrium, sed voluntatem Dei salutiferam per gratiam, quae tamen voluntas non est absoluta, sed conditionata, liberam hominis gratia praeventi cooperationem supponens. Hinc cum haec voluntas sit conditionata, conditione per hominem non adimpleta, ea nullatenus vincitur: sed significatur tantum salutem *pendere* quoque a libera hominis cooperatione, *quo nil verius*. 3. Rationem ultimam quare non omnes salvi fiunt, non esse hominis

Et vetera exemplis manifestis plena videbis
Secula, et in nostro cognosces tempore multa,
Quae doceant, virtute Dei conversa malorum
Corda, quibus recti nihil unquam insederat, et
quae
Nullum justitiae signum sensumve gerebant.
Namque ut nunc saevas gentes et barbara regna,
Ignoti prius aut spreti nova gratia Christi
Adtrahit, et terra templum sibi condit in omni:
Sic prius immites populos urbesque rebelles,
Vincente obstantes animos pietate, subegit.
Non hoc consilio tantum hortatuque benigno
Suadens atque docens, quasi normam legis ha-
beret
Gratia[1]): sed mutans intus mentem atque re-
formans,

---

malitiam, quae vincat Dei voluntatem, sed Dei permissionem, qui cum posset omnes reddere salvos *juste* permittit illorum damnationem, qui cum gratia cooperari noluerunt.

[1]) *Quasi normam legis haberet gratia.* Nunquam satis inculcari potest, non in eo fuisse pelagianorum et horum sequacium semipelagianorum errorem (prout hic a Prospero exponitur cf. etiam v. 362, 370. ss. 389, 480. ss., 504), quod non admitterent *gratiam se sese efficacem.* Qui hoc affirment *caecutiunt.* Erabant, quod secundum ipsos gratia haberet tantum *normam legis*, esset tantum doctrina, exterius proponeret quid sit faciendum, quin intus afficeret e

Vasque novum ex fracto fingens, virtute creandi.
Non istud monitus legis, non verba prophetae,
Non praestata[1]) sibi praestat natura, sed unus
Quod fecit reficit. Percurrat Apostolus orbem,
Praedicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quaque viam verbo reseratam invenerit, intret:
Ut tamen his studiis auditor promoveatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola

---

elevaret mentem atque voluntatem illustrationibus inspirationibusque immediatis: qua gratiae notione adeo jejuna nil alienius a doctrina catholica. Quod si s. doctor gratiae *virtutem* tribuit *creandi*, caveas ne inferas, eam omnem excludere liberam hominis cooperationem. Neque enim comparatio est *adaequata* (secundum illud *omnis comparatio claudicat*). Convenit gratiae virtus cum virtute creandi, quia a) sicut haec nihil praesupponit, ita gratia nullum praesupponit meritum naturale, et *prima* gratia neque meritum supernaturale, est proinde *ex nullis meritis*: quia b) sicut virtus creandi fundamenta ponit ordinis naturalis, ita gratia ordinis supernaturalis: hinc c) sicut sine illa nihil esse potest naturale, ita sine hac nullus actus salutaris: quia d) sicut Deus fecit, quaecunque voluit in coelo et in terra, ita virtute gratiae potest pro lubitu humanas inflectere mentes: ad quod tamen nulla requiritur sive praemotio physica sive gratia ex sese efficax. Cf. Praefat. n. 22. ss.

[1]) Sibi dimissa.

Efficit[1]), inque graves adolet plantaria fructus.
Haec[2]) semen fidei radicem adfigere menti,
Eque sinu cordis validum jubet edere germen.
Haec maturandam segetem servatque fovetque
Ne lolium et tribuli, et vanae dominentur avenae;
Ne ventus frangat, torrens trahat, aestus adurat:
Neu cum se nimium laeta, et praefortis in altum
Extulerit, turpi procumbat strata ruina.

---

[1]) *Gratia sola efficit*, non seclusa tamen libera hominis cooperatione, ut docet fides catholica. Hinc dicitur gratia *sola* ad exclusionem *virtutis*, arbitrii, studii et meriti *naturalis*, non vero studii et cooperationis ex gratia ipsa profectae, quam gratia veluti exspectat, postquam voluntatem praevenit, objective et subjective, moraliter et physice praeparavit viribusque ad salutariter agendum instruxit. Cf. Praef. n. 13. ss. Hinc cum homo gratiae cooperari nonnisi gratiae ope possit, actus salutares, etiamsi hominis cooperationem supponant, gratiae adscribuntur, totumque quod sumus et possumus Deo gratiaeque in acceptis refertur. Ceterum cf. pulcherrimam gratiae ejusque efficaciae descriptionem apud Thomam a Kempis de imit. Christi l. 3. c. n. 2., qua vix pulchriorem apud theologos reperies, quaeque egregie hunc illustrat locum.

[2]) Sequentibus septem versiculis, qui toti pene sunt ex Virgilianis versibus expressi, s. Prosper poetice docet gratiae donum esse principium fidei, incrementa, perseverantiam.

CAPUT XI.

Semipelagianorum sententia de gratia tantum *externa*. Ea refellitur. Insignis gratiae descriptio. Naturae ad salutem insufficientia.

Et nos ista, inquis, sentimus[1]) de bonitate
Ac virtute Dei, quae ni foveatque regatque
Quos vocat, et tutos peccato praestet ab omni,
Non sua servabit quemquam prudentia, nec se
Perficiet solis naturae viribus ullus.
Sed quia jam in nobis et velle et nolle creatum est,
Arbitriique sui quo vult intendere motus
Libertas accita[2]) potest, patuitque per aurem[3])
Judicio cordis[4]), quo mundum proposuisset
Consilio servare Deus: mens excita longum

---

[1]) Nota quid tunc semipelagiani concederent videri volentes non dissentire ab Ecclesiae fide. Sic autem Cassianus definiebat quod, „suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper vero a Domino indigeat adjuvari," et quod „bonarum voluntatum principia nisi a Deo dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possint"; unde acriter a Prospero in libro contra eum scripto, seu contra Collatorem, reprehenditur cap. 3. et 4.

[2]) Accersita ad deliberandum seligendumque, si quid animo obversatur.

[3]) Revelatum et praedicatum est redemptionis mysterium.

[4]) Intelligendi volendique facultatibus.

Excutiat somnum; seque illi subdat et aptet,
Qui cupidam et fidam promissa in gaudia ducat.
Hoc est nobiscum, quod te sentire ferebas?
Haec sincera fides? haec Christi gratia tecum est?
Cujus opus, fixo distinctum limite[1]), totum
Extra hominem statuis clausa penitus fore mentis:
Vixque Deum sensus[2]) carnis permittis adire,
Per quos sumpta foris animus dijudicet intus,
Seque ferat, quoquo librata examina pondus
Presserit arbitrii: veluti cum voce loquentis,
Aut rerum actarum specie quas vidimus, aut quas
Legimus, exoritur secreta cordis in aula
Nunc amor, aut odium, nunc spes, metus, ira dolorque;
Nec tamen hos motus scriptor, narrator et auctor
Insevere animo (quamvis forte hoc quoque vellent),
Sed de perceptis[3]) mens judex sponte movetur,

---

[1]) *Fixo distinctum limite*, quod reducis ad tam arctos limites, quod tam angustis circumscribis limitibus. Cf. v. 251.

[2]) Aures oculosve.

[3]) Al. *praeceptis*, secundum Virgilianum illud Aen. 6. v. 105: „Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi.“

Et pro more[1]) suo, quantum se exercuit istis
Transit in affectum, quem confirmaverit ex se,
Illa volendo sequens, istis nolendo resistens.
At vero omnipotens hominem cum gratia salvat,
Ipsa suum consummat opus: cui tempus agendi
Semper adest, quae gesta velit: non moribus illi
Fit mora[2]), non causis anceps suspenditur ullis.
Nec quod sola potest, cura officioque ministri
Exsequitur, famulisve vicem committit agendi:
Qui quamvis multa admoveant mandata vocantis,
Pulsant, non intrant animas. Deus ergo sepultos
Suscitat et solvit peccati compede vinctos.
Ille obscuratis dat cordibus intellectum:
Ille ex injustis justos facit, indit amorem
Quo redametur amans et amor quem conserit ipse est[3]).
Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua vitam,
Quo tenebrae fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
Quo stulti sapere incipiunt, aegrique valescunt,
Nemo alii dat, nemo sibi, non litera legis,

---

[1]) Pro quibus est moribus ac ingenio.

[2]) Contra illud semipelagianorum v. 290. „Dum morum obsistit feritas.“

[3]) Ex ep. 1. Jo. cap. 4, 16.

Nec naturalis sapientia, quae semel acta
In praeceps, labi novit, consurgere nescit.
Et licet eximias studeat pollere per[1]) artes,
Ingeniumque bonum generosis moribus ornet;
Coeca tamen finem ad mortis per devia currit,
Nec vitae aeternae veros adquirere fructus
De falsa virtute potest: vanamque decoris
Occidui speciem mortali perdit in aevo.
Omne etenim probitatis opus, nisi semine verae
Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum
Vertitur, et sterilis cumulat sibi gloria poenam[2]).

---

[1]) Sic quoque in lib. contra Collat. c. 10: „Etiamsi excellentissimis artibus, et cunctis mortalium polleat disciplinis, justificari a se non potest; quia bonis suis male utitur, in quibus sine cultu veri Dei, impietatis immunditiaeque convincitur, et unde se defendi existimat accusatur".

[2]) Cf. ad haec illustranda, quae annotavimus opusc. t. 3. p. 12. ss. Cum autem dicit omne probitatis opus *in reatum verti* et sterilem gloriam sibi cumulare poenam, non ita est intelligendus ac si opus eo ipso, quod ex fide non procedat, poena sit dignum: sed potius *factum* enunciare videtur, quod plerumque opera ex fide non profecta mala quadam intentione propter hominis ad malum pronitatem soleant corrumpi. Saltem in epigrammate 83. de infidelium operibus per se non aliud pronunciat, quam quod nos cum aliis theologis l. c., scil. ejusmodi opera esse sterilia ad vitam aeternam, sed propterea non sequitur ea esse *poena digna*. Ita sonat illud epigramma:

CAPUT XII.

Fidei gratia plane gratuita est, neque ex merito, cum potius ex illa sit omne meritum. Hinc vel ipsum fidei initium gratiae est tribuendum.

Usque adeo donum est quod credimus, et data gratis
Gratia, non merita ditat mercede vocatos:
Nec justorum[1]) operum discernit facta, sed omnes
Sola ex immundis mundos facit, utque legentem
Lectus[2]) amet, non hoc studio, sed munere sumit[3]).

Quamvis multa homini post vulnera prima supersint,
Quae vitam hanc faciant laudis habere decus:
Si tamen ingenio claro et probitatis amori
Fons desit fidei subdita corda rigars,
Cunctarum frugum *marcescit inutile germen*,
Nec fruitur vero lumine falsus honor.
Ignoratus enim Deus et non credita virtus,
Quae vera ad summum provehit arte bonum,
Non sinit eniti regna ad coelestia mentem
Obstructam vanis occiduisque gravem.
Perque omnes calles errat sapientia mundi,
Et tenebris addit, quae sine luce gerit.

[1]) *Justorum* justitia viribus naturae parta, scil. gratia non tribuitur mercedis instar illis, qui viribus naturae justi facti sunt.

[2]) Eligentem Deum homo electus.

[3]) Non ex labore et ex merito accipit naturali, sed dono gratuito.

Nam si spectatrix meritorum est gratia, et illis
Se tribuit, quorum est animus purgatior, et quos
Per libertatem arbitrii sibi repperit aptos;
Insontes tantum justosque adsumere solos
Debuit, et veri cupidos ac recta volentes;
Perversos autem et scelerum assuetudine turpes,
Deturbare procul, lucemque negare tenebris.
Atqui Salvator[1]) mundi non praemia justis
Solvere, nec sanis venit conferre medelam:
Sed quod dispersum exciderat, fractum atque jacebat,
Quaerere et inventum reparare, ac reddere curae.
Denique ne quisquam ex morum splendore putetur
Censeri, aut fidei merito ad bona summa vocari,
Ceu non divino sit munere mentibus ipsa
Inspirata fides: recole innumerabile vulgus
Retro senum et juvenum, qui coeca turpiter usi
Libertate animi, per cultus daemoniorum,
Per magicas artes, per amorem rapta tenendi,
Per stupra, per caedes vitam duxere nefandam:
Et tamen incumbente obitu, jam limite in ipso[2])
Extremi flatus, miserantem nocte remota
Cognovere Deum: purgatorisque lavacri
Munere, nulla mali linquentis signa prioris,

---

[1]) Ex Matth. 9. v. 13.

[2]) Al. limine in ipso.

Exempti mundo mutarunt tartara coelo.
Quae merita hic numeras? si praecedentia cernas,
Impia: si quaeris post addita, nulla fuerunt.
Si vero merito adscribis, voluisse renasci:
Nempe utero fidei parta est tam recta voluntas.
Porro fidem quis dat, nisi gratia? sic bene velle
Gratia dat tribuendo fidem, quae credita poscat,
Quaeque voluntatis meritum creet, ipsaque solo
Nascatur spirante Deo, mentemque reformans,
De cinere algenti sopitum suscitet ignem.
Ergo voluntatis genitrix operumque creatrix[1])
Non est ex merito: quoniam quod non fit ab illa,
Non bene fit[2]): quem non recto via limite ducit,
Quanto plus graditur, tanto longinquius errat.
Sive igitur meritum, credens existere posse
Ante fidem, donas virtutibus impietatis[3]):
Sive illam vis esse tuam, non munere dantis

---

[1]) Fides, de qua mox ante: „quaeque voluntatis meritum creet.“

[2]) *Non bene fit*, non est *bonum salutare*, quod ad salutem, quam fides docet christiana, conducit. Sedulo distingui debet inter actus *ethice bonos*, ad quos, saltem si de singulis seorsim est sermo, gratia non est necessaria: et actus *salutares*, qui soli in praesenti ordine ad salutem conducunt et hinc vere boni sunt. Hoc sensu *non bene* i. e. bonitate salutari fit, quod sine gratia fit. Cf. annot. ad praef. n. 4.

[3]) Comparatis ante fidem.

Sumptam, sed genitam de libertate volendi:
Nullam habet in vobis salvatrix gratia sedem,
Inflato exclusa arbitrio, quod fronte superba
Erigitis, spatio ut gravius majore ruatis.

CAPUT XIII.

Doctrina semipelagianorum de gratia quam affinis pelagianae: hinc qui illam admittit alias quoque pelagianorum errores debet amplecti. Gratia plane gratuita est.

Divinorum operum quod ponitis in redimendis
Principium? Mandata Dei facere ante lavacrum,
Nosse et amare Deum, promissis credere Christi,
Quaerere, pulsare et petere, proprium omnibus esse
Asseritis[1]), qui se studeant aptare vocanti.
Anne ab aquis[2]) divina manus renovare receptos

---

[1]) Volebant massilienses, ut tradit ipse s. Prosper in ep. ad Augustinum, ad conditionem uniuscujusque hominis pertinere „ut per discretionem boni et mali ad cognitionem Dei et ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, quaerendo, pulsando.“

[2]) Baptismatis: quasi tunc gratia inciperet, ut mox descripta verba ex ep. ad s. Augustinum clarius explicant.

Incipit? et vitae causa est sua cuique voluntas:
Ut merces operum sit gratia judiciumque
De pretio, quo, quod donum perhibetur[1]),
ematur?
An vero auxilium verbo Deus inchoat, et se
Voce ministrorum mundo declarat in omni:
Ut pulsante aures sermone illecta voluntas
Judicio praecurrat opem; nec gratia jam sit
Gratia[2]), quae legis fungens vice, jure monentis
Solum agat: atque agro cum plantatore mi-
nistret,
Terraque seminibus det, non Deus, incrementum:
Ubere ceu glebae[3]) subsistat et arte colentis

---

[1]) In Scripturis sanctis.

[2]) *Nec gratia jam sit gratia*, quia gratia, quam docet fides catholica, non est externa tantum, sed omnino etiam interna ipsum afficiens intellectum immediata illustratione et ipsam voluntatem immediata inspiratione. Cf. annot. ad praef. n. 13. p. 18. ss. Ex his iterum evidens est, et semipelagianos non solum circa gratiae *necessitatem* errasse, sed etiam circa *gratiae indolem* et naturam, admittentes tantum gratiam externam. Hinc vere hallucinantur, qui contendunt, semipelagianos idcirco reprehensos fuisse, quod non admitterent gratiam *ex se efficacem*, et qui propterea Lessii de gratia doctrinam semipelagianismi nota infamant, ut quidem historici recentiores.

[3]) Ex Virg. Aen. I. v. 535. et III. v. 164. Al. gleba al. seu.

Exoritura seges: neque quicquam cordis in arvo
Praesulcet divina manus, quo temperet aequor[1])
Edomitum, faciatque satis gaudere novales[2])?
Talibus adsumptis inimico ex dogmate, nonne
Perspicuum est, quantum damnatos confoveatis,
Dum cuique ad verae capienda exordia vitae
Naturam affectum fidei conferre docetis:
Dumque aliud non est vobiscum gratia, quam
lex,
Quamque propheta monens, et quam doctrina
ministri?
Scilicet ut tale arbitrium generaliter insit
Semine damnato genitis in corpore mortis,
Quale habuit nondum peccati lege subactus
Primus homo: et nullum in prolem de vulnere
vulnus[3])

---

[1]) Planities campi nondum aratro subacti.

[2]) Novalis dicitur non solum campus, qui alternis annis seritur, sed etiam novus et nunquam antea sed tunc primum ad sementem proscissus. Servius in illud Virg. Eccl. I. v. 71. „Impius haec tam culta novalia miles habebit?“ subdit: „Novalia etiam dicuntur, unde silva tollitur; Plinius lib. 17. c. 5.: Talis fere est in novalibus caesa vetere sylva.“

[3]) *De vulnere vulnus.* Cum semipelagiani saltem diserte et explicite non negarent originis peccatum, infert Prosper, eos peccatum originale virtute et aequivalenter rejicere, cum secundum ipsos homo laesus non fuerit secundum animam, sed tantum secun-

Transierit, nisi corpoream per conditionem:
Quae sic exterius respondeat, ut nihil intus
Imminuat, teneatque suum substantia mentis
Splendorem, et nulla poenali nocte prematur.
Addite quod superest tumidi, ruituraque vani
Congerite, et causis causas aptate sequentes.
Et quia nil primae periit virtutis apud vos,
Dicite ab illaesis animis procedere veram
Justitiam, regno dignam coeloque locandam,
Ut frustra Christus sit mortuus. Edite multos
Arte et sponte sua sanctos ab origine mundi
Absque Deo[1]) placuisse Deo: decretaque legis
Tunc data, cum pejor mos et corruptior aetas
Terrore instanti et formidine mortis egeret.
Dicite plectentes apices mortisque ministros[2])
Hoc explesse operis, quod gratia vivificatrix.
Nunc agite, et quoniam fuerit sine lege voluntas
Libera, quam scripti munibat pagina cordis[3]):
Sic vitam aeternam adquiri potuisse, vacante

---

dum conditionem corpoream. Hinc (ironice) illos hortatur, quod cum aliqua a pelagianis acceperint, reliqua quoque cum his nexa amplectantur.

[1]) *Absque Deo* i. e. absque Dei auxilio.

[2]) Literam legis, quae occidit, et est ministratio mortis, ut legitur 2. Cor. 3, 6. et 7.

[3]) *Scripti munibat pagina cordis*, quam juvabat lex naturalis cordibus insculpta.

Hac ope[1]) quae legem supereminet, ut sine lege
Ex naturali potuit virtute capessi:
Nunc autem, studiis vergentibus in mala multa,
Crevisse auxilium: non quo cessante, salutem
Non caperet per difficiles natura labores,
Sed quo conatus operum affectusque juvante,
Propositam citius ferret mens libera palmam.
Dicite, cum infantes renovantur, non renovari
Insontes animas, et sola carne renasci
Exterius lotos, non existentibus illis
Interius maculis: quoniam licet edere rectae
Signa voluntatis nequeant, tamen hoc magis omni
Sorde vacent, super auctoris[2]) quod conditionem
De proprio nihil addiderint, quod fons aboleret.
Haec si non vestris spirant de cordibus et vos
Non cum damnatis eadem ratis extulit alto
Mergendos pelago[3]), submittite vela tumoris,
Nobiscumque humiles placido consistite portu.
Edite constanter[4]) naturae vulnera victae,

---

[1]) Sine auxilio gratiae.

[2]) Adami; alii intelligunt Dei creationem.

[3]) Alludit ad Pelagii nomen, dum elegantissimae metaphorae insistit.

[4]) In fatendis naturae vulneribus constate vobis ipsis. Fatebantur nimirum peccatum originale et inficiabantur, quae illud necessario consequuntur, difficultatem et ignorantiam.

Exutam virtute animam, coecataque cordis
Lumina et in poenam propriam jaculis superatis
Armatum arbitrium [1]), nunquam consurgere posse,
Inque novos lapsus semper nitendo revolvi:
Cui sua sit laqueus sapientia, morsque subactum
Detineat, nisi vera salus ex munere Christi
Adsit, et oppressam dignetur gratia mentem.
An vestrum sublimen animum pudet ista fateri,
Ne sub tam multis morbis sit vilior aeger?
Cum nihil ex omni majorum dote supersit,
Quo medici mereatur opem, et mercede[2]) valescat.
Ergo in castra gradum revocate hostilia, et illis
Addite vos, quorum ingenio et fallacibus armis
Luditis, ejusdem vibrantes spicula linguae.
Exsultate bonis naturae, et mentis honorem
Omnibus a saeclis illaesum[3]) stare docete.

---

[1]) *In poenam propriam* etc. id est liberum arbitrium superatis *jaculis*, ejus armis, quibus abunde, praeter et supra naturam instructum erat a Deo in Adamo, armatum est in propriam poenam, i. e. factum est validum in propriam ruinam utpote adeo proclive ad malum et impotens ad resurgendum ex sese e tanta ruina.

[2]) Non gratis, sed soluta mercede curetur.

[3]) Al. illapsum, quasi non lapsum.

Neu vos in totum retegatis dogmate nudo,
Corporeo tantum decurrere tramite poenam[1])
Peccati perhibete, animi nihil imminuentem:
Vulnere transfixos absolvite crimine, et ipsam
Justitiam accusate Dei, transire sinentis
Supplicium, quo non vultis transire reatum.
Sed non injustus Deus est, manifestaque Pauli
Vox docet[2]), uno omnes homines cecidisse ruente:
In quo tota simul series prostrata nepotum
Deperiit, nec habet quisquam quo surgere possit
Ad vitam, sacro nisi rursum nascitur ortu.
Quotquot enim summo justos numeratis[3]) ab aevo,
Hac ope non dubium est salvatos, quam modo toto
Latius omnipotens exercet gratia mundo.
Haec, sicut dictum est, non judex est meritorum,
Quae nisi plena malis non invenit: et nisi donet

---

[1]) Cf. supra v. 488. cum annotatione subjecta.

[2]) Rom. 5, 12.

[3]) Erat hoc praecipuum semipelagianorum studium veteres justos enumerare, quasi sine gratia juste vixissent, quod innuit etiam v. 498. Al. numeravit, idest Paulus, et tunc alluditur ad cap. 11. ep. ad Heb.

Quae bona sunt, nihil efficiet bene coeca voluntas:
Haec ut cujusquam studio affectuque petatur,
Ipsa agit, et cunctis dux est venientibus ad se;
Perque ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam.
Ergo ad iter per iter[1]) ferimur. Sine lumine lumen
Nemo videt, vitam sine vita inquirere mors est.

---

[1]) Per gratiam ad gratiam, qua itur ad gloriam. Al. pariter, sed inepte.

S. PROSPERI
CARMEN
DE INGRATIS.

PARS III.

Semipelagiani objicientes, quod necessitas gratiae ad bonum velle et agere libertatem arbitrii destruit, meritum tollit, et poenas vitiis non deberi evincit, refelluntur proposita et explicata Ecclesiae doctrina de peccato originali. Qui sint hujus peccati effectus in humana natura. Sola gratia Christi sanari posse liberi arbitrii vulnera a peccato Adae illi inflicta. Exemplo parvulorum statim post baptismum decedentium probatur, gratiam non ex merito dari, sed secundum Dei beneplacitum. Misericordiae Dei esse quod aliquibus detur gratia, et nullo pacto injustum quod aliis non detur, cum possit omni jure neminem liberare. Non esse perscrutandum cur ex hominibus, eadem licet causa omnes implicet, alii eligantur, alii relinquantur. Id ignorare obesse nihil. Non posse Dei judicia non esse aequa licet occulta. Quantum ab inimicis gratiae cavendum sit. Quicunque sibimet uni, aut etiam gratiae, sed quam meruit, virtutes suas adscribit, eum non proficere, sed eo ipso deficere et perire.

CAPUT XIV.

Semipelagianorum exceptiones adversus absolutam gratiae necessitatem. Praemissis peccati originalis tristibus sequelis jam primae occurrit exceptioni, ostendens gratia non tolli liberum arbitrium, sed ea potius liberari et sanari.

Hic vanam insano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrii sublatum vociferantes,
Currere currentum si non, et velle volentum est[1]):
Nec vitiis poenam deberi, aut praemia laudi[2]),
Si vel naturam obstrictam mala velle necesse est,
Vel nostro[3]) adscribi nequeunt bene gesta labori.
Numquid non eadem sapiunt, eademque perorant
Vestri illi, quorum ructatis verba, magistri?
Sed quia consimili cognata superbia questu
Prosilit, et vobis nunc respondetur, et illis.
Inviolata Dei quondam et sublimis imago
In primo cuncti fuimus patre, dum nemore almo
Degit, et edicto parens cavet arbore ab una.

---

[1]) Semipelagianorum sententiam invidiose exprimit Apostoli verbis in ep. ad Rom. 9, 16.

[2]) Virtuti. Sic Virg. Aen. I. v. 465.: „Sunt hic etiam sua praemia laudi."

[3]) Quasi tunc solum noster sit labor, cum gratiam praevenit.

At postquam rupta mandati lege superbum
Consilium mixtum invidiae de fonte recepit,
Corruit et cuncti simul in genitore cadente
Corruimus; transcurrit enim virosa[1]) per omnes
Peccati ebrietas[2]), corrupti et cordis in alvo
Persistit, cruda fervet carbunculus[3]) esca.
Hinc animi vigor obtusus, caligine tetra
Induitur, nec fert divinae fulgura lucis
Lumen iners: hinc arbitrium per devia lapsum
Claudicat, et coecis conatibus inque ligatis
Motus inest[4]), non error abest: manet ergo voluntas

---

[1]) Imitatur Virg. Georg. I. v. 58. Est autem virosus idem ac foetidus aut venenatus. Sic supra v. (18.) virosum vocat caput anguis, idest haereseos pelagianae.

[2]) Liberum arbitrium ex peccato Adami, ut idem s. Prosper cont. collat. c. 9. loquitur, „bibit omnium vitiorum venenum, et totam naturam hominis intemperantiae suae ebrietate madefecit. Inde prius quam edendo carnem Filii hominis, et bibendo sanguinem ejus, lethalem digerat cruditatem, labat memoria, errat judicio, nutat incessu."

[3]) Tumoris, seu ulceris genus ita dictum a carbonis igniti similitudine, vehementer enim exulceratam partem inflammat, ideo fervet.

[4]) *Inque ligatis* peccati et concupiscentiae vinculis *motus* liberi arbitrii *inest*, sed ratio revelatione superna destituta dux erroribus obnoxia est et in ordine ad finem supernaturalem plane coeca.

Semper amans aliquid quo se ferat, et labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingressa viarum:
Vana cupit, vanis tumet et timet: omnimodaque
Mobilitate ruens, in vulnera vulnere surgit.
Hoc itaque arbitrium cum sanat gratia, tolli
Dicitis, et perimi vita aspirante putatis.
Quid mirum rabido si corde phreneticus aeger
Morbum amat, et pellit medicum? Cognoscite tandem
Antiqui commenta doli[1]): et desuescite captas
Aures vipereo rursum praebere susurro.
Parcite de fractis praecerpere noxia poma
Arbitrii ramis[2]): non haec vos esca reformat,
Nec speciem angelici nutrit cibus ille decoris.
Sed vetitorum avidos et tetra bile tumentes,
De fastiditae[3]) procul abripit arbore vitae.
Hujus[4]) ope et fructu vescendum est, ut revalescens

---

[1]) *Antiqui commenta doli*, i. e. fraudes daemonis vos decipientis, sicut olim cum dixit protoparentibus: *Eritis sicut dii scientes bonum et malum* (Gen. 3, 5).

[2]) *Parcite* etc. Nolite gloriari de operibus, fructibus *de fractis ramis*, de viribus imminutis, laesis arbitrii. Talia opera vos non reformant, non salvant, sed potius a vera vita arcent.

[3]) Al. fastidita, ex conjectura.

[4]) Gratiae.

Languida mens, etiam propriis bene viribus uti
Possit, et in Christo inveniat, quod perdidit in se.

Non igitur, quisquis terreni veste parentis
Exueris [1]), priscum naturae perdis honorem,
Sed recipis: sic adquirens quibus ante carebas,
Ut tua sint, si collatis utare modeste,
Et quod habes, hoc te acceptum fatearis habere.
Fons igitur meriti est lucis Pater: inde quod in nos
Fluxerit, hoc nobis majorum est causa bonorum,
Dum largitori sua reddimus, eque relatis
Augemur, nostrumque bonum fit gloria dantis.

CAPUT XV.

Gratiam non secundum merita dari patet inprimis ex infantibus, quorum alii statim post baptismum, alii absque baptismo moriuntur, nulla parentum culpa.

Sed qui judicium arbitrii meritumque tueris
Quique hominum studiis adscribis dona vocantis;
Infantum discerne animos et dissere quales
Affectus, qualesque habeant haec pectora motus.
Da teneris mores et libertate volendi
Instrue, vix aurae tenuis lactisque capaces.

---

[1]) *Quisquis terreni veste parentis exueris* i. e. gratia ornaris et ita exueris peccati sequelis, quas Adamus contraxit.

Nulla tibi arbitrii respondent signa, nec ullis
Dissociare pares meritis potes: omnibus una est
Natura, et pariter nequeunt bona vel mala velle.
Et tamen ex istis miseratrix gratia quosdam
Eligit, et rursum genitos baptismate transfert
In regnum aeternum, multis in morte relictis,
Quorum causa fuit similis de vulnere eodem.
Nec meritis istud poteris aptare parentum:
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abstuleritque aliis aliena ignavia vitam:
Cum videas multos sanctis genitoribus ortos,
Nullo salvari studio potuisse suorum,
Expositisque aliis ob turpia crimina matrum,
Missam externorum curam, quae stercore raptos
Per fontem vitae coelesti traderet aulae.
Quid si diversum hunc finem, quo gratia Christi
Unum alio pereunte legit[1]), donatque salute,
In geminis etiam videas: quod dividis uno
Tempore conceptos atque uno tempore natos,
Non ullos potes arbitrii praetendere motus.
Cessat opus, cessat meritum, nihil editur impar.
Sed Deus et tales discernit, quo mage Christi
Excellat bonitas, quae sola est causa vocatis
Et fidei et meriti: quoniam sapientia dives
Hoc etiam tribuit multis, ut sancta operatis,
In finem vitae fieret de munere merces.

[1]) Eligit.

CAPUT XVI.

Alteri semipelagianorum occurrit exceptioni, peccati reos non fore, quibus gratia non datur, si ad bene agendum esset necessaria.

Non autem recte, nec vere dicitur, illos,
Qui sunt exsortes divini muneris, et quos
Gratia neglexit degentes mortis in umbra,
Peccati non esse reos, quia recta gerendi
Non data sit virtus. Naturae compede vinctos
Procubuisse negant [1]), nec ab uno germine credunt
Omnigenam prolem cum poena et crimine nasci.
Quod qui non renuit, videt hujus pondera culpae
Tam valida pariter miseris incumbere mole,
Ut si nulla etiam cumulent mala, sit tamen unum hoc
Sufficiens scelus, ad mortem nascendo luendam.
Hanc igitur legem, quam per se nemo resolvit,
Si merito et juste positam impositamque fatemur,
Cur querimur, quod non omnes salvantur [2]) ab illa?

---

[1]) Qui nempe ita ratiocinantur.

[2]) Al. solvantur, ex conjectura, ut nimirum respondeat superiori versiculo: quam nemo resolvit: et sequenti voci *irrupta*.

Cum si progeniem super omnem irrupta[1]) maneret,
De cunctis juste damnatis non quereremur,
An quod de toto ferretur, non toleratur
De parte? et melius foret omnia debita cogi,
Quam summa ex solida clementer multa remitti?
Quis vero exemptus squallenti carcere pulset
Invidia miserantis opem, quia non simul omnes
In lucem veram tenebris eduxerit iisdem?
Cum poenam qua mersus erat, non experiatur,
Quam misere ferat addictus, nisi liber ab illa.
Denique tunc illum socialem mente benigna
Concipit affectum[2]), quo submissa prece Christum
Conciliet miseris, sueta qui nocte gravati

---

[1]) *Irrupta*, non rupta i. e. si haec lex non esset ablata satisfactione et morte Christi. Optima ratio, quare Deus *non teneatur* omnes salvare, possitque quorundam damnationem permittere; sed ex hac disputandi ratione non sequitur, voluntatem Dei salutiferam antecedentem in praesenti ordine esse particularem, atque Deum propter solum peccatum originale quosdam a priori reprobasse quamvis nonnisi reprobatione *negativa*.

[2]) *Concipit affectum*. Qui gratia liberantur, misericordia moventur in eos, qui adhuc peccatis gravantur, nec de sua sunt solliciti salute, atque Christum impense rogant, ut et eorum misereatur.

Nulla gerunt vota effugii. Tantum nocet error[1]),
Ut juvet errare, et veteris contagia morbi
Tam blande obrepunt, ut quo languetur ametur.
Unde ergo haec oritur querimonia? non movet illos
Talis cura, quibus necdum est sua poena dolori;
Et qui se nulla credunt a luce relictos.
Qui vero tenebris exempti in lumine vivunt,
Gaudent, et quantum sibi sit bonitate vocantis
Dimissum, ex illis discunt qui debita solvunt.

CAPUT XVII.

Semipelagiani gratiae sunt ingrati: christiani vero sunt grati omnia gratiae tribuentes.

Vos igitur soli queruli, solique superbi:
Vos soli ingrati, quos urit gratia: cujus
Omne opus arbitrio vultis subsistere vestro[2]),
Et quod non cuncti mortales atria vitae
Ingrediuntur, ita ex ipsis pendere putatis,

---

[1]) In Resp. ad 6. cap. Gallorum idipsum s. Prosper ita describit: „Amat ergo (id est liberum arbitrium) languores suos, et pro sanitate habet, quod aegrotare se nescit, donec prima haec medela conferatur aegroto, ut incipiat nosse quod langueat, et possit opem medici desiderare, qua surgat.“

[2]) *Arbitrio . . . vestro* naturali, seclusa gratia.

Ut tam ex judicio [1]) constet cujusque quod intrat,
Quam quod non intrat: ceu par in utrumque facultas
Suppetat, et tam sit proprium bona quam mala velle.
I procul insana impietas, artesque malignas
Aufer, et auctorem comitare exclusa [2]) Britannum [3]).
Nos humiles tenuesque sumus, grex parvus, et altis
Inniti metuens, quia sufficientia nostra
Ex Christo est: si quid recti sapimus volumusque,
Illi debemus, qui vincula nostra resolvit,
Proque malis bona restituit, non inveniendo
Quod merito legeret, sed donans quo legeretur [4]),
Ut de perceptis prodiret causa merendi:
Deque datis in danda, gradus industria crescens
Scanderet, atque bonum fieret Deus omnibus unum.

---

[1]) Electione.
[2]) Ejecta ab Ecclesia.
[3]) Pelagium.
[4]) *Quo legeretur.* Christus nil boni in nobis invenit, in cujus praemium gratiam conferret, sed ipse gratia sua nos praeveniens facultatem dedit, ut ipsum eligere et sequi, atque ita merita nobis comparare possemus.

CAPUT XVIII.

Scrutandum non esse, cur ex toto genere humano pars una eligatur altera rejecta, licet causa eadem omnes implicet, cum id ignorare non obsit aliaque etiam ignoremus.

Cur vero humani generis de germine toto
Pars quaedam in Christo rursum generanda legatur[1]),
Pars pereat, cum causa eadem simul implicet omnes:
Nec discernantur merito[2]), qui munere[3]) distant:
Non satis audemus scrutari, nec per opertas
Ire vias, callesque gradu pulsare remotos,
Multa etenim bene tecta latent, nescitaque prosunt:
Dum mansueta fides quaedam dilata modeste
Sustinet, et nullo ignorat non edita[4]) damno.
Sic quando electum ex cunctis populum Deus unum
Lege, sacris, templo, unguento signisque fovebat,
Quod fuit occultum, mundique in fine[5]) retectum est,

---

[1]) Eligatur.
[2]) Ante fidem et gratiam comparato.
[3]) Dono gratiae.
[4]) Non manifestata.
[5]) Tempore novae legis, quae ultima mundi aetas est.

Non oberat nescire, omnes quandoque vocandas
In regnum aeternum gentes, totumque per orbem
Donandum, quod spes parvae tunc plebis habebat.

Sic postrema dies, qua mundi clauditur aetas,
Notitiae nostrae non est data; nec tamen hujus
Secreti impatiens sanctorum turba laborat.

Ipsa quoque humani generis carnalis origo,
Quam multas vario circumtegit ordine causas?
Cumque omnes de fermento producat eodem
Una manus, nec diversis elementa parentum
Principiis coeant: limo procedit ab uno
Dispar opus, mutat numeros per vascula fictor,
Materiamque unam discernit jure creantis.
Ergo eadem natura animae naturaque carnis
Diversis mundum sub conditionibus intrat.
His regnare datum est: illos servire necesse est:
Hos decor, et vires validae, viridisque senectus
Suscipit: hos species inhonora et debile corpus:
His viget ingenium praeclaris artibus aptum:
Horum tarda premit gelidus praecordia sanguis.
Quosdam nec licitus calor incitat ad generandum:
Ast alii insanum nequeunt frenare furorem.
Hunc mitem et placidum tranquilla modestia comit:
(Asperitas[1]) istum genii intractabilis urget).

---

[1]) Cum hic deesset quintae antithesis complemen-

His et mille modis semen variantibus unum,
Impariles subeunt distincta exordia formas.
Nec tamen haec inter tam compugnantia quisquam
Arguit auctorem, qui secum continet[1]) hujus
Legem operis, dum judicio placita explicat aequo,
Et rerum causas obscurat justa potestas[2]).
Si terrenum igitur figmentum addictaque morti
Progenies, ita dissimili producitur ortu,
Ut cum operis species pateat, tamen edita non sit,
Norma voluntatis, de qua venit hic modus impar:
Quid mirum si consilii super omnia magni
Arcanum latet, et placito subducitur alto?
Quod dum vana fluunt mundi, dum in corpore mortis
Vivitur, et positi expletur certamen agonis,
Non cognoscendum texit Deus, utiliusque
Duxit, ad examen quaedam velare piorum[3]).

---

tum doctor Lovaniensis hunc apposuit non inelegantem versiculum.

[1]) Apud se occultam tenet.

[2]) Quid sibi sit placitum Deus opere ostendit, cognoscere autem causas pro supremae suae potestatis jure retinet apud se.

[3]) *Velare piorum.* Maluit Deus quaedam tegere

Non ergo instamus clausis, nec operta procaci
Urgemus cura; satis est opera omnipotentis
Cernere, et auctorem cunctorum nosse bonorum;
Quo sine nil rectum mens inchoat. Audeat amens
Impietas tumido arbitrio subnectere[1]) causas
Divinorum operum: nos cum manifesta videmus
Dona Dei, quorum est fons unus summa voluntas,
Cum Paulo tremuisse juvat[2]), stupidumque modeste
Invictum ad solium Christi suspendere nutum:
Cujus judicium sic inscrutabile et altum
Dicimus, ut verax prorsus fateamur et aequum.
Nam meritum ad mortem subeundam sufficit unum;
Ad vitam, nisi quod donarit gratia, nullum.

---

ad examinandam, tentandam, probandam fidem justorum.

[1]) In Resp. ad 8. cap. Gallorum: „Causas vero operum et judiciorum Dei, qui ex toto ad humanas voluntates et actiones refert .... et dispensationes Dei ex liberi arbitrii vult mutabilitate variari, profitetur sibi scrutabilia judicia Dei etc.“

[2]) Ad Rom. 2, 33.

CAPUT XIX.

Quantum viri fideles ab hostibus gratiae sibi cavere debeant. Quicunque virtutes suas vel sibi vel gratiae, quam propriis viribus meritus sit, adscribit, proficiendo deficit.

Tu vero, o nova[1]) gens, veteris quae stirpe oleastri
Velleris[2]), et sacrae ramis inolescis olivae,
Quaerere formatae sentis te frondis honorem[3])
Non studio coepisse tuo, sed jure potentis
Agricolae insertam fecundo vivere ligno;
Vince superborum flatus et vana furentum:
Turbinibus stabili fortis pietate resiste.
Nec tibi fallacis[4]) subrepat imago decoris,
Nullum ex[5]) his errare putes. Licet in cruce vitam

---

[1]) Christianos compellat novam gentem ad comparationem populi judaici.

[2]) Judaeos olivae, gentiles oleastro comparat Apostolus in ep. ad Rom. 2, 17.

[3]) *Frondis honorem.* Tu gens vere christiana credis, non studio tuo coepisse, quod quaereres honorem formatae frondis olivae scil., ut distinguitur contra frondem oleastri, velut informem et imperfectam.

[4]) V. supra v. 119.

[5]) Subaudi, ut: aut lege: Nullum ex his errare putes? L. Urb. Mangeant operum s. Prosperi editor dubitat num integer versiculus desideretur, quem ita

Ducant et jugi afficiant sua corpora morte,
Abstineant opibus, sint casti, sintque benigni,
Terrenisque ferant animum super astra relictis:
Si tamen haec propria virtute capessere quemquam
Posse putant, sitve ut dignus labor iste juvari,
Ingenium meruisse ajunt bona vera petentis:
Crescere quo cupiunt minuuntur[1]); proficiendo,
Deficiunt; surgendo, cadunt; currendo recedunt.
Unde etenim vane[2]) frustra splendescere quaerunt,
Inde obscurantur: quoniam sua laudis amore,
Non quae sunt Christi, quaerunt: nec fit Deus illis
Principium: et capiti non dant in corpore regnum.
Non horum[3]) templo est Christus petra fundamentum:
Sed super instabilem arbitrii nutantis arenam

---

supplet: Ut quia conspicuis sunt moribus, atque probatis, nullum etc.

[1]) Virtutes nullas habet solidas, qui in se confidit et gloriatur, non autem in Domino.

[2]) Al. varii.

[3]) Varia exprimit sacrarum literarum loca 1. Cor. 3, 2. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus;

Adsurgunt, foeda lapsuri mole tumoris.
Isti, q em quidam reprobarunt aedificantes [1]),
Nunc etiam reprobant lapidem: pariesque sine ipso
Tertius esse volunt [2]), quem nullo foedere nectat
Angulus, et quem nulla habeat compago ligatum:
Hi thalamum ad sponsi non perducuntur, et intrant
Libertate sua: quae Christi gratia confert,
Non acceperunt [3]), et habent. Non attrahit illos [4])
Vis Patris ad Verbum, sed sponte et praepete cursu
Praeveniunt cessantis opem: nec ad omne gerendum
Ejus egent, sine quo sibi plurima posse videntur [5]).

Eph. 2, 21. In quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino; 1. Cor. 10, 14. Petra autem erat Christus.

[1]) Ps. 117. v. 22. Matth. 21, 42. Act. Apost. 4, 2.

[2]) Is. 28, 16. Ep. ad Eph. 2, 20. Ep. 1. Pet. 2, 6.

[3]) Contra vero Apostolus 1. ad Cor. 4, 7.: Quid habes quod non accepisti?

[4]) Contra Jo. 6, 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.

[5]) Contra ipsemet J. Christus apud Joa.: 15, 5 Sine me nihil potestis facere.

S. PROSPERI
CARMEN
DE INGRATIS.

PARS IV.

Semipelagianismi cum haeresi pelagiana comparatio. Peccatum Adae nihil sanum reliquisse in humana natura; et ne ipsam quidem miseriam suam posse illam agnoscere. Asserta in homine lapso primigeniae libertatis praerogativa Christus gratis fuisset mortuus. Mysterium incarnationis et passionis Christi argumento esse debere gravissimae infirmitatis hominum, quibus ita mederi opus fuerit. Ex eadem superbia, quam diabolus Adamo inspiravit, proficisci opiniones, quae arbitrii vires plus aequo extollant. Gratiae Dei, ut principio, mutationem hominis non adscribere, plurium errorum esse germen. Sanctis non auferri causam coronae justitiae, si merita in eis oriuntur ex gratia. Per hanc gratiae praedicationem virtutum studium non minui. Pia ad Deum bonorum omnium datorem oratio, in qua carmen explicit.

CAPUT XX.

A semipelagianis voce tenus Pelagium damnari, cum subtilissimum illius haereseos venenum retineant, imo periculosius fallere, cum errores suos magis celent. Licet enim verbis peccatum admittant originale, re illud negant.

Quid prodest verbis commentum pelagianum
Respuere, et sola damnatos plectere voce?
Cum, paucis squalida sublatis de cute nervis,
Intima viperei foveantur viscera [1]) sensus?
O bene quod diri erroris malus ille magister
Nullo praelevit lethalia pocula melle:
Sed non ambigua infectum feritate venenum
Protulit, et gustu virus detexit amaro!
Nam si argumenti [2]) primordia non onerasset
His [3]), quae discipuli dempserunt callidiores,
Innumeras dubio cepisset plasmate [4]) mentes:
Quae dum multa vident informia limine in ipso,
Horrida terrificae declinant atria mortis.
Nec jam illis possunt attriti illudere fures [5]),
Quorum quo tendant artes, atque unde oriantur,

---

[1]) Errores praecipui haereseos pelagianae.

[2]) Systematis, seu potius *ὑπόθεσεως*. Al. argumentis.

[3]) Erroribus magis manifestis.

[4]) Figura artificiose ficta.

[5]) Pelagiani attriti dicuntur quia pluries et peremptorie damnati.

Non dubiis promptum est cuivis cognoscere signis.
Non igitur cum damnatis[1]) sentire videntur[2]),
Cum dicunt mortem in cunctos transisse per unum
Primum hominem, cujus crimen resperserit omnes:
Nec quemquam in vitam aeternam, nisi fonte renatum
Venturum: infantesque reos hoc munere solvi,
Quos prima ad mortem generaliter edat origo.
Sed cum damnatis sapiunt, damnataque promunt
Cum dicunt, nihil esse animis per vulnus avitum
Detractum decoris, splendoremque omnibus illum
Nunc talem innasci, qualis fuit ante ruinam.
Hinc libertatem arbitrii discernere sano
Posse oculo cordis, quicquid sit rite gerendum,
Nec solum ad vitae praesentis commoda solers
Sufficere ingenium, quo se tueatur et ornet;
Sed summis etiam mentem aptam percipiendis
Aeternisque bonis, sponte ad coelestia ferri:
Perque viam ad Christum, quam fecerit ipsa, venire.
Hinc hominem multa recti assuetudine firmum
Posse repugnare adversis, nec cedere poenis[3]),

---

[1]) Pelagianis.
[2]) Semipelagiani.
[3]) Cassianum notat, qui Jobum cruciatus suo cor-

Quas superandae animae per carnem admoverit hostis,
Auxilio abscedente Dei, qui deserat apte
Utiliterque suos, ut de certamine agonis
Quaesitas referant palmas: ne nulla piorum[1])
Sint merita, et verae priventur laudis honore,
Si quod naturae sensu noluntque voluntque,
Praeceptisque tenent legalibus insinuatum[2]),
Divini auxilii manus hoc operetur in illis:
Ceu solis Christi famulis virtute carere[3])

---

pori a diabolo inflictos superasse sine Dei auxilio effutiit. Vide lib. cont. Collat. cap. 15.

[1]) Notatur idem Cassianus, qui loquens de Centurione ob fidem suam singularem laudato subdit: „Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Dominus quod ipse donaverat praetulisset.“ Al. Neu nulla.

[2]) Lumine naturali, praesertim vero a lege edocto et monito.

[3]) *Ceu solis Christi famulis* etc. Infert scil. Prosper hoc absurdum ex proposita semipelagianorum doctrina: Si Deus quosdam gratia sua non praevenit et adjuvat, ne priventur laudis honore, ergo soli famuli Christi, qui teste Paulo spiritu Dei aguntur (Rom. 8, 9. ss), virtute carent etc., quam secundum adversarios vel ethnici habere possunt. Hunc in sensum scribit etiam Prosper l. contr. Collatorem c. 6: „Nam si ideo non est putanda nostra (voluntas), quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur (gratia); spoliantur libertate filii Dei, qui aguntur Spiritu Dei; perdunt vigorem rationalis animi, et omni voluntariae

Sit dignum, et non posse probos apprendere mores,
Quos plerumque habeant etiam simulacra colentes.

CAPUT XXI.

Hortatio ad semipelagianorum fugiendos errores. Si quid homini supersit ex pristini status reliquiis, falso id putat sanum, atque hinc solum sibi arripit superbiendi materiam. Si peccante Adamo illaesus mansisset status originalis, gratis mortuus esset Christus. Ex remedii magnitudine colligenda lapsus gravitas.

Talia lingua procax cum verbis fundit ineptis,
Effuge tu nova gens[1]), hostiles effuge sensus,
Et procul a laqueis sapiens abjungere mortis.
Christus enim tua justitia est, quo te duce oportet
Currere, ne cursus, Christo sine, sit vagus error.
Nemo etenim, nemo est, qui non cum vulnere primi
Sit patris genitus: quo vulnere mens prius intus
Percussa est, quam membra foris: cum mente receptum est

---

devotionis laude privantur, quibus datur spiritus sapientiae etc.«

[1]) Sic supra v. 767.

Quod regione poli disjecta superbia[1]) suasit.
Sic animus, cui lumen erat de lumine summo,
Arbitrium involvit tenebris: et luce relicta
Consilio legit tetrae nigrescere noctis.
Nec jam captivos oculos extollere in altum
Sponte potest[2]): quoniam hoc etiam spoliante tyranno
Perdidit, ut quanto jaceat sub vulnere norit.
Si quid enim de principiis felicibus illi
Et vita exilii superest prudenter agenda[3]),
Hoc sanum, et quo nil fuerit sublimius in se
Credit, amatque suum mundi sapientia sensum,
Innumeras sese claram mirata per artes[4]):
Quod conjecturis sublimibus abdita quaerit,
Quod meminit recte, sapit acriter, aestimat apte,
Quod studium fandi excoluit, quod legibus urbes

---

[1]) *Disjecta superbia* i. e. daemon propter superbiam e coelo dejectus.

[2]) Ad implorandam medici opem.

[3]) Al. vita agenda, al. ad vitam agendam, ex conjectura.

[4]) Sic quoque in lib. cont. Collat. cap. 10. enumeratis quae supersunt ex reliquiis naturae a Deo conditae, subjit: „Ergo quis ambigat hanc sapientiam humano generi ad temporalis vitae utilitatem ex naturae a Deo conditae superesse reliquiis? Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed exstincta natura.“

Instituit, moresque feros ratione recidit,
Ut poenae metus officio certarit amoris.
Jam cum exercetur numeris[1]), ad sidera coeli
Per cursus noscenda suos: et scire videtur
Defectus solis varios, lunaeque labores,
Quam speciosa sibi est? et quam vanescit in ipsis?

Quae licet ex primo naturae habeantur honore,
Non tamen ad veram possunt perducere vitam.
Denique ab his praeceps in multas relligiones
Decidit, et factis haesit factore relicto.
Nam si nunc etiam illaesis[2]) vigor ille maneret,
In quo insons natura fuit, sua quemque voluntas
Conciliare Deo poenaque absolvere posset:
Nequicquam Christus mortem moriendo piaret,
Peccatum et mundi sanguis non tolleret agni,
Nec genus humanum generari rursus egeret
Conditione nova: quoniam sapientia sana,
Sana fides, sanum arbitrium, mens libera morbo,
Vitam agerent dignam summorum participatu.

Sed prostrata semel, quanto natura profundo
Immersa, et quantae sit mole oppressa[3]) ruinae;

---

[1]) Studia mathematica indicantur, in quibus summopere sibi placere solent qui illis operam navant.

[2]) Al. illaesus, ex conjectura ex v. 541. ubi legitur: Mentis honorem illaesum.

[3]) Al. ruinae? Sed rectius per ellipsim exponitur.

Verbum homo fit, rerumque sator sub conditione
Servilis formae dignatur virgine nasci,
Inque infirmorum cunctos descendere sensus.
Vexatur Virtus, Sapientia ludificatur:
Justitia injustos tolerat, Clementia saevos:
Gloria contemptum subit, et tormenta Potestas:
Inque crucis poenam nulli violabilis [1]) usquam
Vita agitur: cujus perimatur morte peremptor [2]):
Justo ut pro injustis effuso sanguine, sit mors
Unius insontis multorum vita reorum.

Hoc igitur pretio captivi cum redimuntur,
Agnoscant quali conclusi carcere, quove
Obsessi fuerint morbo: quibus eripiendis
Succurri haud aliter potuit, quam morte medentis.
Et quia de magnis opibus nonnulla supersunt,
Quae decorent nudos, et quae solentur egenos:
Non ita pro summis oblectent ultima lapsos,
Ut de supplicio [3]) tumeant: atque ordine verso,

Sic in lib. cont. Collat. c. 9. Nonne, inquit s. Prosper, ex ipsius remedii singularitate apertissime patet in quam profundum malum totius humani generis natura demersa sit illius praevaricatione, in quo omnes peccaverunt?

[1]) Nisi ipsemet voluisset. Al. unquam.

[2]) Diabolus, qui Jo. 8, 44. homicida ab initio appellatur.

[3]) De reliquiis nempe primae integritatis, quae

Quo sunt effecti miseri, sint inde superbi.
Aut cum hebetes visus, longa ex caligine tandem,
(In[1]) coelum attollunt, et vera luce fruuntur);
Naturae hoc potius libertatique volendi,
Quam Christo tribuant: ne scilicet evacuetur
Arbitrii virtus, si desit recta legendi[2]).

Hoc patribus primis mortis sator insinuatus
Consilio est: hac arte omnes prostravit in uno,
Dum suadet multo praestantius esse, quod ipsis
(Non tribuente licet Domino) sponderet habendum
Prudens libertas, vetitoque instructa cupido:
Quae nunc per veteris serpens vestigia fraudis[3]),
Deceptos simili studet inflammare furore:
Ut quoniam pulchrum est veris impendere curam,

---

pro supplicio sunt, si quis animadvertat, quantillum de multis supersit, et quod ipsum hoc quoque sine auxilio Dei ad mortem, non vero ad veram perducere vitam potest. V. sup. v. 877.

[1]) Unum aut alterum versiculum hinc excidisse patet; quem defectum ita gallus interpres supplevit. Doctor lovaniensis hunc alium versiculum substituendum proponit: Erepti, accipiunt vero de lumine lumen.

[2]) Eligendi.

[3]) Id est, per quae vestigia veteris fraudis nunc iterum serpens ille sator mortis diabolus studet inflammare deceptos simili furore.

Justitiaeque avidos bona nosse et velle salubre est:
Suadeat ingenio cujusque hoc lucis inesse,
Ut naturali mens vivida mobilitate[1]),
Non spirante Deo, Christi exardescat amore,
Utque ita salvatrix nil gratia conferat istis,
Sed referat: pretioque[2]) bonos, non munere ditet.

CAPUT XXII.

Plurimos e semipelagianorum placitis errores pullulare, quos pii aversari debent. Procul abjiciendi qui existimant, sanctis auferri causam obtinendae coronae, si gratia praevenienti indigent. Quod possumus, Dei gratia adjuti possumus.

His de seminibus multo jam plura oriuntur,
Et frumenta inter primo turgentia lacte,
Spinis fulta subit seges horrida zizaniorum.
Sed nos, qui Domini semen sumus, agricolaeque
Stamus ope, et supera perflati vivimus aura,
Viperei calicis gustum procul excutiamus:
Divinique operis constanter confiteamur
Figmentum nos esse novum, quod prorsus ab illa

---

[1]) Vid. sup. v. 592. al. nobilitate.

[2]) Mercede debita.

Stirpe vetustatis discretum est atque recisum;
Et jam[1]) sit penitus carnalis originis exsors,
Qui membrum est Christi, capitisque in corpore vivit:
A quo subjectos vigor omnis manat in artus;
Et sic quaeque suo vegetantur in ordine partes,
Ut quod agunt, et dispositis quod motibus explent,
Ex illo possint, qui summa atque ultima pacans,
Ut nos insereret summis, se miscuit imis.
Conticeant igitur, qui dicunt esse cavendum,
Ne desit sanctis sumendae causa coronae,
Si non ipsorum[2]) bona reperiantur in illis.
Hoc etenim tumida nimis impietate docentes,
Quid nisi justitia nos, et virtute Deoque
Dispoliare volunt: ne lux in nocte coruscet,
Languida ne in vires redeant, ne mortua vivant?
Sed nobis summo verorum a fonte bonorum
Haurire haec, supero et semper splendore nitere,
Gloria sit; non spes in feni flore caduco.
Sicut enim palmes nullos valet edere fructus[3])
Non in vite manens, quae de radice ministra
Succum agat in frondes, et musto compleat uvas:

---

[1]) Al. ut jam sit, ex conjectura.

[2]) Opera bona sine auxilio gratiae sibi comparata.

[3]) Ex Evang. s. Jo. cap. 15. v. 4.

Sic infecundi virtutum, et fruge carentes
Perpetui cibus ignis erunt: qui vite relicta
Audent effusa de libertate comarum
Fidere, ne Christi sint ubertate feraces:
Et mage se credunt propriis excellere posse,
Quam si virtutum placitarum[1]) sit Deus auctor.
Viles ergo putent se, deformesque futuros,
Cum transformatis fiet Deus unica Sanctis
Gloria: corporei nec jam pressura laboris[2])
Conteret incertos[3]), sed in omnibus omnia semper
Christus erit. Quod si pulchrum et super omnia[4]) magnum est;
Cur pudet hac etiam fletus in valle potentes

---

[1]) *Virtutum placitarum*, quae Deo placent seu quas volentes amplectimur.

[2]) *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam* (Sap. 9, 15).

[3]) Incertos victoriae, perseverantiae, praemii. S. Leo M. de apostolis loquens, cum divinus magister Christus dixit eis: *Unus vestrum me traditurus est* (Matth. 26, 23), „Contristati sunt, inquit, non de conscientiae reatu, sed de humanae mobilitatis incerto, timentes ne minus verum esset quod in se quisque noverat, quam quod ipsa veritas praevidebat."

[4]) In coelis nimirum degere sine corporis pressura etc.

Esse Deo [1]), minimumque operis mortalis [2]) habere,
Quod non est nisi peccatum [3]), quo discrucietur [4])
Libertas: ad quam solam [5]) male gesta recurrunt?
Et tamen in sanctos animum cum intendimus actus;
Cum desideriis carnis mens casta repugnat;
Cum tentatori non cedimus, et per acerbas
Vexati poenas, illaeso corde manemus,
Libertate agimus, sed libertate redempta.
Cui [6]) Deus est rector, summoque ex lumine lumen,
Vita, salus, virtus, sapientia, gratia Christi est,

---

[1]) Sine quo nihil possumus facere Jo. 15, 5. et in quo possumus omnia (Philip. 4, 13).

[2]) Id est cupiditatis, seu concupiscentiae, quam corpus mortis vocat apostolus ad Rom. 7. v. 24.; al. esse Deo, nimiumque operis mortalis habere?

[3]) Concupiscentia peccatum est, quia a peccato exorta et ad peccatum impellit.

[4]) Unusquisque enim tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus Jac. 1, 14.

[5]) A libero enim arbitrio solum pendet, ut quis peccet.

[6]) Homini, cui Deus est rector, qui nimirum peccati servus non est, sed Dei, gratia Christi est etiam lumen, vita etc.

Qua currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, instat,
Credit, sperat, amat, mundatur, justificatur.
Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante
Te gerimus: tu corda moves: tu vota petentis
Quae dare vis, tribuis[1]), servans largita creansque
De meritis merita, et cumulans tua dona coronis.
Non autem hoc curam minui, studiumque resolvi
Virtutum, aut opus ingenii torpere putandum est,
Quod bona sanctorum tua sunt: et quicquid in illis
Aut sanum, aut validum est[2]), de te viget: ut videatur
Nil actura hominis, te cuncta gerente, voluntas:
Quae sine te quid agit, nisi quo procul exulet a te?
Praecipites semper calles et devia motu
Ingressura suo: nisi fessam tu bone et aegram

---

[1]) Sic orat Ecclesia Dom. 9. post Pent. „Ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quae tibi sunt placita postulare.“

[2]) Sic Ecclesia Dom. 3. post Pent.: „Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum.

Suscipias, referas[1]), foveas, tuearis, honestes.
Tunc fiet cursus velox oculique videntes,
Libera libertas, sapiens sapientia, justum
Judicium, et fortis virtus, et sana facultas.
Hujus opis semper, Pater, indigeamus: ab ipsa
Prodeat arbitrium nostrum, nihil hac sine sensus
Corporei possint, opus ut servile[2]) quiescat.
Et tua dum in nobis agitur, non nostra voluntas,
Legitima in sanctis ducamus sabbata festis[3]).

---

[1]) Alludit ad evangelicam parabolam ovis deperditae, quam Pastor bonus humeris suis refert.

[2]) Peccatum, nam qui facit peccatum servus est peccati, Jo. 8, 34.

[3]) „Observatione sabbati, quae vacatione unius diei figurabatur, ablata, perpetuum sabbatum observat, qui spe futurae quietis sanctis est operibus intentus, nec ipsis bonis actibus suis, quasi de propriis et de his quae non acceperit, gloriatur; illum in se operari cognoscens, qui simul operatur et quietus est.“ Quae est ejusdem s. Prosperi sententia 279. al. 278. ex lib. 4. s. Aug. de Gen. ad lit. cap. 13.

I. Index tomi XXIV.

Pag.

Praefatio 1
Actus salutaris genesis 3
Gratia praevenit voluntatem et praeveniendo sanat et praeparat 4
Gratiae praeparatio non solum est moralis et objectiva, sed etiam subjectiva et physica 18
Voluntatis autem ita praeparatae est cum gratia cooperari 21
Actus salutares adscribi debent voluntati viribus gratiae auctae 24
Quaestio de gratiae efficacia 33
Quomodo Deus faciat ut faciamus . . . 35
Duo notanda de efficacia gratiae . . . 42
Epistola s. Prosperi ad s. Augustinum de reliquiis pelagianae haereseos in Gallia subolescentibus 47
S. Prosperi Carmen de ingratis 62
Pars I. Occasio operis, et quanti momenti illud sit, auxilii divini invocatio. Dogmatum Pelagii recensio. Quid Ecclesia late per orbem universum egerit contra pelagianos. Africanorum episcoporum ope fuisse illos potissimum debellatos. S. Augustini laus. Pelagianam haeresim jam extinctam in semipelagianis reviviscere

Pag.

coepisse. Inducuntur pelagiani hos interpellantes, ut secum velint societatem inire, semipelagianos nullo modo posse hoc recusare. Pelagianorum oratio, qua postulant aut recipi iterum in Ecclesiam, aut secum semipelagianos quoque expelli, cum in eadem doctrina conspirent . . 68

Pars II. Tria capita haereseos pelagianae proponuntur, quae ipsi semipelagiani fatebantur damnata. Semipelagianorum doctrina exponitur. Quod de gratia Dei omnibus ex aequo oblata asserebant, exemplo refellitur eorum infidelium, quibus Evangelium nunquam praedicatum fuit. Quomodo omnipotentiae Dei detraherent, dum misericordiam ejus extollere videbantur in eo, quod velit omnes homines salvos fieri. Gratiae natura et vis describitur, ut pateat eorum doctrinae perversitas qui dicebant, quod solum a naturali liberi arbitrii vigore pendet, ut quis gratiam amplectatur, aut respuat, et unus perseveret, alter non perseveret. Fidem donum esse gratuitum, et neminem posse illam mereri. Quales sint virtutes infidelium. Pelagii dogmata ex semipelagianorum doctrina resurgere . . 84

Pars III. Semipelagiani objicientes, quod necessitas gratiae ad bonum velle et agere libertatem arbitrii destruit, meritum tollit, et poenas vitiis non deberi evincit, refelluntur proposita et explicata Ecclesiae doctrina de peccato originali. Qui sint hujus peccati effectus in

Pag.

humana natura. Sola gratia Christi sanari posse liberi arbitrii vulnera a peccato Adae illi inflicta. Exemplo parvulorum statim post baptismum decedentium probatur, gratiam non ex merito dari, sed secundum Dei beneplacitum. Misericordiae Dei esse quod aliquibus detur gratia, et nullo pacto injustum quod aliis non detur, cum possit omni jure neminem liberare. Non esse perscrutandum cur ex hominibus, eadem licet causa omnes implicet, alii eligantur, alii relinquantur. Id ignorare obesse nihil. Non posse Dei judicia non esse aequa licet occulta. Quantum ab inimicis gratiae cavendum sit. Quicunque sibimet uni, aut etiam gratiae, sed quam meruit, virtutes suas adscribit, eum non proficere, sed eo ipso deficere et perire 112

Pars IV. Semipelagianismi cum haeresi pelagiana comparatio. Peccatum Adae nihil sanum reliquisse in humana natura; et ne ipsam quidem miseriam suam posse illam agnoscere. Adserta in homine lapso primigeniae libertatis praerogativa Christus gratis fuisset mortuus. Mysterium incarnationis et passionis Christi argumento esse debere gravissimae infirmitatis hominum, quibus ita mederi opus fuit. Ex eadem superbia, quam diabolus Adamo inspiravit, proficisci opiniones, quae arbitrii vires plus aequo extollunt. Gratiae Dei, ut principio, mutationem

Pag.

hominis non adscribere, plurium errorum esse germen. Sanctis non auferri causam coronae justitiae, si merita in eis oriuntur ex gratia. Per hanc gratiae praedicationem virtutum studium non minui. Pia ad Deum bonorum omnium datorem oratio, in qua carmen explicit . 129

Annotatio I. Quid sit actus salutaris . . 4
» II. Quid sit gratia medicinalis . 8
» III. De gratia illustrationis et inspirationis 18

Annotatio IV. Discrimen inter doctrinam scholarum catholicarum et errores semipelagianorum 65, 78, 87, 91, 94

II. Index opusculorum

quae t. I.—XXIV. continentur.

A.

Acta Fructuosii ep., Augurii et Eulogii diaconorum XIII. 144.
Ignatii Theophori XIII. 49.
Maximiliani XIII. 186.
Montani, Lucii et aliorum martyrum africanorum XIII. 152.
Nicephori XIII. 176.
Perpetuae et Felicitatis cum sociis earum XIII. 114.
Photini et aliorum plurimorum XIII. 86.
Polycarpi ep. et sociorum ejus XIII. 68.
Tarachi, Probi et Andronici XIII. 260.
Theodoti ancyrani et septem virginum XIII. 192.
Vincentii Levitae XIII. 438.

Algeri de sacramentis corporis et sanguinis dominici ll. 3 XXIII. 58.
de sacrificio missae XXIII. 371.

Ambrosii de poenitentia ll. 2 V. 1.
vita a Paulino ejus notario ad b. Augustinum conscripta VII. 1.
de mysteriis liber unus VII. 49.

Anonymi auctoris de vocatione omnium gentium ll. 2 III. 1.
epistola ad s. virginem Demetriadem seu tractatus de humilitate III. 175.
tractatus de conceptiene b. Mariae V. XII. 197.
epistola ad Diognetum XV. 182.
Augustini de utilitate credendi liber unus VI. 1. de fide rerum, quae non videntur, liber unus VI. 84.
de fide et symbolo liber unus VI. 118.
vita auctore Possidio calamensi episcopo VIII. 1.
de catechizandis rudibus liber unus VIII. 93.
Enchiridion ad Laurentium XVI. 5.
epistola 228. ad Honoratum VIII. 74.

B.

Bernardi ab. b. de laudibus Virginis matris hom. 4 XII. 53.
sermo de 12 praerogativis b. Mariae Virg. XII. 149.
srrmo de aquaeductu in nativitate b. Mariae Virg. XII. 173.
Bonifacii I. P. ep. 4. ad Rufum XVIII. 147.
ep. 5. ad Rufum XVIII. 152.
ep. 13. ad Rufum XVIII. 157.
ep. 14. ad episcopos per Thessaliam XVIII. 162.
ep. 15. ad episcopos per Macedoniam etc. XVIII. 167.

C.

Chrysostomi demonstratio, quod Christus sit Deus XV. 111.
Clementis romani ep. ad Corinth. 1 XVII. 61.
Coelestini I. P. ep. 4. ad episc. prov. vienn, etc. XVIII. 179.

Coelestini I. P. ep. 11. ad Cyrill. alex. XVIII. 204.
ep. 13. ad Nestor. XVIII. 211.
ep. 14. ad clerum et populum constantin. XVIII. 230.
ep. 18. ad synodum ephesin. XVIII. 246.
ep. 21. ad episc. Gall. XVIII. 253.
ep. 22. ad synodum ephesin. XVIII. 270.
Cornelii P. ep. 6. ad s. Cyprianum XVII. 119.
ep. 9. ad Fabium antioch. XVII. 125.
Cyrilli alex. encomium in s. Mariam XII. 39.
ep. ad Coelestinum XVIII. 190.
commonitorium de erroribus Nestorii XVIII. 199.
Cyrilli hierosol. catecheses mystagogicae 5 VII. 95.
Cypriani vita et passio per Pontium ejus diaconum I. 1.
liber ad Demetrianum I. 35.
liber de catholicae ecclesiae unitate I. 67.
» de oratione II. 42.
» de mortalitate IV. 1.
» de opere et eleemosynis IV. 29.
» de patientia IV. 64.
» de lapsis V. 118.
epist. ad Donatum XXI. 3.
» 11. ad clerum de precando Deo XXI. 24.
» 10. ad martyres et confessores XXI. 33.
» 16. ad clerum etc. XXI. 40.
» 15. ad martyres etc. XXI. 49.
» 17. ad plebem XXI. 54.
» 18. ad clerum etc. XXI. 57.
» 37. ad Moysen et Maximum etc. XXI. 62.
» 47. ad clerum etc. XXI.
» 43. de 5 presbyt. schismatic. XXI. 73.
» 55. ad Antonianum etc. XXI. 83.
» 57. ad Cornelium etc. XXI. 124.
» 59. ad Cornelium etc. XXI. 131.

Cypriani epist. 59. ad Thibaritanos etc. XXI. 166.
epist. 60. ad Cornelium etc. XXI. 180.
„ 64. ad Fidum etc. XXI. 189.
» 63. ad Caecilium etc. XXI. 195.
» 66. ad Florentium Pupianum etc. XXI. 217.
» 76. ad Nemesianum etc. XXI. 230.

D.

Damasi P. epist. 5. ad Paulinum episc. antiochen. XVII. 193.

F.

Fulgentii de fide s. de regula verae fidei ad Petrum liber XVI. 171.

G.

Gregorii M. liber regulae pastoralis XX. 11.

H.

Hieronymi Stridon. presbyteri epist. 14. ad Heliodorum, de laude vitae solitariae XI. 1.
epist. 15. ad Damasum papam. XI. 25.
epist. 16. ad Damasum papam XI. 38.
epist. 22. ad Eustochium, de custodia virginitatis XI. 40.
epist. 46. Paulae et Eustochii ad Marcellam, de locis sanctis XI. 115.
epist. 52. ad Nepotianum, de vita clericorum et monachorum XI. 138.
epist. 53. ad Paulinum, de studio scripturarum XI. 165.
epist. 58. ad Paulinum, de institutione monachi XI. 190.

Hieronymi epist. 60. ad Heliodorum, epitaphium Nepotiani XI. 206.
epist. 70. ad Magnum oratorem, de scriptoribus ecclesiasticis XI. 243.
epist. 107. ad Laetam, de institutione filiae XI. 259.
